



Lcc. 71<sup>a</sup>







77 66  
G E O R G I I  
F A B R I C I I C H E M  
N I C E N S I S,

V I C T O R I A R V M  
C O E L E S T I V M,

L I B E R V N V S.

L I P S I A E

I N O F F I C I N A V A L E N T I N I P A P A E.

Anno

---

M. D. LIII.

Ca. 712/12



IOACHIMI CA  
MERARII PABER.

*Cum nihil auxilij terreno est orbe relictum  
Et nulla humanam res pollicetur opem,  
Tendimus orantes trepido cum lumine palmas  
Ad te, summa poli qui Deus astra tenes.  
Hoc fieri amisso prudentes tempore clamant,  
Et rident seræ languida vota precis.  
At non hoc nostri diuina camena Georgij,  
Non alius quisquam relligiosus, ait.  
Ille & ab humano desperans Marte triumphos,  
Concinit ætheria fixa tropœa manu.  
Quæ quicunq; leges, dic, ô patris unice fili,  
Dextera quod restat nunc tua Christe gerat.*



GEORGIUS  
FABRICIUS CHEM  
NICENSIS, IOANNI TE=  
TELBACHIO, VERBI DEI  
MINISTRO, COMPA=  
TRI SVO  
S. D.



**N** rerum à Deo condita=  
rum uarietatem, ordinem,  
pulcritudinem cum intui=  
emur, meritò tot operum  
atq; tantorum sapientissi=  
mum autorem Deum admiramur: Sed  
nihil profectò admiratione dignius, sæ  
piusq; cogitandum, quàm quo idem  
consilio condiderit, & quomodo pro=  
pagauerit, omnibusq; temporibus con=  
seruauerit Ecclesiã suam. Omnia enim  
quæ terræ marisue amplitudo complec=  
titur, hominis causa: imò & cœli ipsius  
lumina, quæ naturæ incrementa præ=  
bent, tempora actionesq; distinguunt,  
communibus omnium utilitatibus ser=  
uiunt, propter eundem condita manēt  
in officio. Homo uerò ipse ad agnitio=  
nem

A 2

nem

P R A E F A T I O.

nem conditoris in lucem productus, et in sedem mundi ornatissimam atq; amplissimum domiciliū collocatus est, ut rerum superarum spectaculo fruatur, sitq; custos & possessor bonorum maximorum: sed non ingratus aut mutus atq; stupidus, uerum qui mente per hęc omnia percurrens, consideratione ad gratiarum actionem se ipse excitet, & ad Dei agnitionem ac laudem instruat quamplurimos. Homines autem qui Deum esse sentiunt, eumq; uerentur, in certum quendā cœtum uel animis uel corporibus collecti, Ecclesia nominari solent. Ista tamen ex Dei operibus intelligentia, cultusq; ex timore profectus, nondum constituunt uerè Ecclesiam. Etenim fuerunt multi, qui res illas admirabiles ui mentis atq; ingenij inuestigarunt, quicq; et splendidissimum cœli uolumen, et stellarum positus ratione sunt complexi: tum uarietatem nature, quæc; in natura sunt rerum, acutè perspexerunt: præterea animalium multitudinem, ortus, formas, uictum, remedia

dia



P R A E F A T I O.

dia considerantes, esse æternam & sapi-  
entissimam mentem dixerunt, cui origi-  
nem, moderationem, incolumitatem re-  
rum conditarũ asscripserunt: quæ mens  
omnia generans ac sustinens, ipsa im-  
mortalis, sempiterna, excellentissima, li-  
berrima sit, summæq; potentiæ ac boni-  
tatis, cultu & ueneratione dignissima.  
Quamuis autem isti uiri acres & seduli  
inuestigatores fuerint, sintq; ex multis  
Dei & mirificis operibus, in aliquam  
noticiam adducti, Ecclesia tamen non  
fuerunt: naturæ enim ductu & mentis  
sagacitate, quæ Dei erga hominem uo-  
luntas, non comprehendere, neque de  
uero eius cultu fieri certiores potuerũt.  
Ex qua dubitatione & inscitia supersti-  
tiones innumerabiles, & cultus non  
modò grati Deo, sed nefarij plane &  
abominabiles, & maximè incerti omni-  
bus temporibus atque locis excogitati.  
Sapientiores, ut Chaldæi & Persæ ig-  
nem: Græci & Romani reliqua pro nu-  
minibus habuerunt elementa. Lumina  
uerò cœlestia, ut Solem & Lunam ado-  
rarunt



P R A E F A T I O .

rarunt Medi, coluerunt Scythæ: stellas  
 & certa sidera Phœnices & Assyrii ue=  
 nerati sunt. Multi autem mortales aut  
 metu potentiaë territi, aut beneficiorũ  
 magnitudine allecti, honores supra ho=  
 mines hominibus tribuerunt: aras, lu=  
 cos, flamines, sacrificia, templa dicarũt:  
 & ij ferè, qui cum animos extingui cũ  
 corporibus crederent, Deum esse uolu=  
 erunt, id quod nihil esse amplius senti=  
 rent. Aegyptij omnium leuissimi ab in=  
 telligente natura, summam reuerentiã  
 transtulerunt ad belluas, scẽq; coram ca=  
 nibus, uaccis, ibide, crocodilo, oxyrin=  
 cho supplices prostrauerunt. Nec his  
 contenta hominum stulticia, in silua=  
 rum arbores, & saxorum congeriem,  
 ac montium molem, Dei nomen cul=  
 tumq; deriuauit. Nonne enim Dryades  
 & Oreades suas inde appellationes ac=  
 ceperunt? nonne placarunt hostijs Ery=  
 cem montem Siculi, Atlantem Mauri=  
 tani? nonne urbi suæ templum Roma=  
 ni in foro statuentes, eam adorarunt  
 cum Venere, ut eandem cum Minerua  
 Athea

P R A E F A T I O.

Athenienses? doctissimi quidem homi-  
 nes, sed imperitiæ externæ uel potius  
 dominantis cupiditatis nimis faciles &  
 creduli sectatores. Auditum ridiculum  
 est, quod porri bulbis in tecto, cœpa-  
 rum capita in hortis, quæ aut breui tem-  
 pore perire, aut in terra marcescere ui-  
 derent, mouerint Aegyptios, ut ijs ho-  
 norem quasi dñs tribuerēt. Vanitatem  
 numinum fictorum secuta cultus im-  
 manitas fuit, ut Deum placatum cæde  
 effici, & sanguine hominum existima-  
 rent. Hospites & peregrinos mactatos  
 à Scythis, Thracibus, Italis, Gallis me-  
 moriæ proditum est: liberos suos im-  
 molarunt reges Pœnorum & Moabita-  
 rum, nec ab ijs abstinuerunt facinori-  
 bus Manassas Iudæ, & Achas Israëlis,  
 Reges in Dei populo educati & prepo-  
 tentes. Cultellis & subulis in sua ipso-  
 rum membra sæuierunt Cybeles & Bel-  
 lonæ sacerdotes: idem Bahalitici fece-  
 runt, & eorum imitatores Machometa-  
 ni monachi in hunc diem faciunt. Sub-  
 lato itidem pudore atq; omni honesta-  
 te,



P R A E F A T I O.

te, diuinitas delectari libidinum foeditate credita: idque ausi tradere Sacrificuli, rectores Rerump. fieri etiam passi sunt. Corinthij puellas uirgines religione, Locrenses uoto, Sicenses lege, Helio-politae consuetudine, Cyprij mandato prostituerunt. Sed quis aut meminerit aut enumeret omnia humanae infaniae & uanae superstitionis prodigia? Cum autem haec non a singulis hominibus, nec ab una aliqua gente prodita commissaque sint: nec a barbaris tantum nationibus usurpata, sed in eruditis cultisque urbibus comprobata: cumque negligentia & securitate irreperint eadem mala in populum Christianum: apparet quidem certe omnes homines in maximis tenebris erroribusque de Deo uersatos, & uersaturos perpetuo fuisse, cum contemptu & odio Dei, nisi luce noua atque caelesti mens illustrata, auocetur a tam ridicula, tam sanguinaria, tam foeda caecitate atque ignorantia. Quamobrem doctrina de Deo, quinam ipse sit, & quo ritu coli digne uelit, tum de uoluntate

tate

P R A E F A T I O.

tate ipsius erga homines, atque animo quo singulos amplectitur, quacumque ratione nostram excitet & ad se mentem deducat: & traditur solummodo in Ecclesia, & constituit quoque Ecclesiam ueram. Eadem quoque doctrina non sapientum ingenijs, nec humana industria inuenta propagataque est, sed de caelo è sinu Patris æterni prodijt, eiusque Filiij Domini nostri IESU CHRISTI uoce tradita, tum luce atque uirtute Spiritus Dei ita confirmata, ut de intima Dei uoluntate, & obseruatione legitima, ac in uocatione uera certi planè sint, omnique de salute sua dubitatione sublata, diuinis præmijs in hoc mortali corpore, immortalitatis dulcedine perfruatur. Homo autem cum initio esset ad agnitionem & obseruantiam autoris Dei perpetuam conditus, maxima sua cum felicitate: mandati quod acceperat uiolatione, gratia Dei excidit, & in exitium miserabile se coniecit. In qua mœsticia miseriaque à Deo destitutus & desertus non est, qui cum Ecclesiam, qua & ab

A 5. Ange-



P R A E F A T I O.

Angelis in cœlo, & ab hominibus in terra æternis celebraretur temporibus, instaurare sibi constituisset: hominem ærumnosum ac perditum in gratiam recepit, & noua nascituri filij consolatione erigens, spem ueniæ ac salutis indubitatam animo concipere præcepit. Qua spe erecta nixaq; Ecclesia, firma semper & inuicta extitit, nam nec in diluuiio orbis terrarum tota interijt, nec cum Sodomorum cineribus concidit, nec ullis calamitatibus abrepta & sublata penitus fuit: cum in communi totius mundi naufragio gubernatorem, in urbiũ incendijs ducem, in mari rubro comitem, alijsq; periculis liberatorem haberet Dei filium: cuius se præsentia atque ope sustinuit, & fide in ipsum incolumis ac superstes semper euasit. Hunc Filium Deus in una gente promissum, temporibus postremis non uni genti, sed omnibus sub cœlo nationibus exhibitum, dominum & tutorem constituit Ecclesiæ: qui naturam hominis assumens, diuinam retinens, morti se ac

P R A E F A T I O.

se ac cruciatibus subiecit, & in imagine sua nobis eam quam amiseramus, retulit: nostræ enim deformitati suam obiecit pulcritudinem, damnationi crucē, indignitati iusticiā, morti uitam. Illam autem, quam sibi adiunxit & copulauit Ecclesiam, non è lignis marmoribusue extruxit, neq; uni alicui loco affixit præcipuo, sed in animis atq; pectoribus hominum collocauit, ubicunque gentium aut locorū eius beneficio homines egerent: egebant autem omnes, locis omnibus atq; gentibus. Eandem deniq; non ostentatione inani aut pompa theatrīca, neq; perituris opibus dicauit per alios, Sed agnus ille iam inde ab ultima mundi origine maētatus, suo sanguine in cruce effuso, propriam sibi fecit, & è prophana atq; immunda sanctam innocentemq; reddidit, & seruitute durissima oppressam, in pristinum gratiæ & libertatis locum restituit: nec pro ea orare ac propugnare, tanquam custos assiduus, & fidelissimus patronus ullis temporibus desistit. De Eccle-  
siae

P R A E F A T I O.

fiæ autem & piorum defensione, quam  
& in calamitatibus communibus pub-  
licè, & in suis quisq; angustijs priuatim  
sentimus, scripturo nonnihil, duo tem-  
pora fuere considerata, recentia atq;  
antiqua. De recentibus quo minus ex-  
plorata & certa habeamus, eorum ho-  
minum, qui sanctorum uirorum certa-  
minibus atq; uictorijs, sua affinxerunt  
somnia, improbitas & malicia effecit:  
ut secundum uulgare de humana leui-  
tate dictum, Quid credas, aut cui cre-  
das, nescias. Publicarum quoq; & sin-  
gularium defensionum aut abolita me-  
moriam est, aut nõ obseruata frequentia.  
Arcadij et Honorij Impp. temporibus,  
maiore propemodũ miraculo Rhada-  
gastus Gothorum tyrannus, ab urbe fu-  
gatus Roma, quàm Achabi regis domi-  
nati Benhadadas Syriorũ à Samaria.  
Syrus enim armis hostium, quantum-  
uis paucorum, centum millia milium:  
Gothus totidem & amplius amisit, ne  
uno quidem extincto, sed ne uulnerato  
quidem milite Romano. Duæ in exer-  
citibus



P R A E F A T I O .

citibus Imperatorum legiones meruerunt, Domitiani temporibus Melitena, Diocletiani Thebea, prior à socijs Fulminatrix, & à Græcis *κεραυνοβόλος* appellata, quod non pila modo in hostes manibus immitteret, uerum etiã uis precum coelitus fulmina torqueret: altera quoq; res maximas, & Christiana professione dignissimas gessit. Vtraq; propter religionis obseruationem, & eius tuendæ constantiam, primum decimo quoq; ad supplicium raptò, deinde ex auctoratis omnibus, ferro deleta ab impijs principibus fuit. Talia periculosis Ecclesiæ temporibus acciderunt innumera: Sed aut obscurata negligentia est, aut mendacijs corrupta tantorum pro Christi nomine factorum gloria atque nobilitas. Quanquã quid mirum est, id esse factum? cum homines supersticiosi & temulenti nõ solum uera reiecerint, & ea commentis ac fabulis contaminarint: Sed nullo modo piandum adiecerint nefas atq; flagiciũ, ut à Deo desciscentes, uni illi honorem debitum inuo-

P R A E F A T I O.

inuocationis, cum hominibus commu-  
nicarent: his fortunarum, uitaë, studio-  
rum, Rerumpublicarum, Ecclesiæ de-  
niq; defensionem attribuerent, utq; per  
eos aditum haberent ad Deum facilio-  
rem, uota iisdem facerent, peregrinatio-  
nes susciperent, aras dicarent, puluina-  
rias sternerent, templa exædificarent:  
cum tamen, ut Timotheo Paulus scri-  
bit, unus Deus sit, unus etiam concilia-  
tor Dei & hominum, homo Christus  
Iesus: &, ut concilio Pontificum loqui-  
tur Petrus, præter Iesu Christi nõ aliud  
nomen sit, in quo nos oporteat salutem  
consequi. Atqui de uictorijs sanctorũ,  
quas *sephævous* appellare suauissimo ac  
grauissimo poëtæ Prudentio placuit,  
tradita quæ sunt, ea sanis hominibus ac  
pijs mentibus ex eorum lectione auto-  
rum, qui absq; diuini nominis infamia,  
sanctè & simpliciter posteris tradide-  
runt, relinquimus cognoscenda. Hoc  
autem tempore, ut de Ecclesiæ defensi-  
one, ac triumphis sanctorum aliqua &  
ad fidem certa, & idonea ad consolatio-  
nem

P R A E F A T I O.

nem afferremus exempla, ex sacris ea li-  
bris, & antiquissimis Hæbræorum hi-  
storijs delegimus, nullius pñ cognitio-  
nem fugientia, & ore Spiritus Dei testa-  
ta. Ex quibus manifestum est, quomo-  
do æternus & omnipotens conditor ac  
gubernator Ecclesię Deus, aut per An-  
gelos mirificè, aut per Heroas fortiter,  
aut per aduersarios de suis ipse aduersa-  
rijs triumpharit potenter. Angelorum  
præsidió liberata sæpius Ecclesia est, ne  
in humanis tantũ opibus, aut obiecta  
oculis potentia hereremus: armis etiam  
uirorum præstantium defensa, ut eam  
esse sciremus animosam, ac periculorũ  
contemtricem: aduersariorum deniqz  
manibus proprijs, aut uiolentis ruinis  
uindicata, ne operum mirabilium effec-  
torem Deum negare quis auderet. Cũ  
igitur hostes Ecclesię à suis ipsorum te-  
lis tuti non sint, cumqz uictorias pluri-  
mas & gloriosas boni uiri ac fortes re-  
portarint, cum Angeli deniqz ipsi pro  
nobis stent ac propugnent: statuamus  
excelso et fideli animo, nec tyrannorũ  
poten-

P R A E F A T I O.

potentiam diuturnam, nec feritatem  
 impiorum impunitam, tum Ecclesiae  
 praelia auspicata & felicia, & piorum  
 defensionem, etiam his miserrimis tem-  
 poribus, & quasi extrema mundi uespe-  
 ra, perpetuam futuram. Preclare dicun-  
 tur in Sacris literis illa, de protectione  
 gregis pusilli, de actu pupillae Dei,  
 de gestatione Ecclesiae in utero coelesti:  
 Sed historiae illorum uerborum uerita-  
 tem testantes, in aures atq; animos ho-  
 minum altius meo iudicio demittuntur.  
 Quis enim est cum Abrahami, Iosephi,  
 Davidis, Ezechiae: cum Betuliae & Sa-  
 mariae urbium uaria pericula, & praes-  
 entes ex iisdem ereptiones cognoscit:  
 qui non spem concipiat, se quoq; in si-  
 milibus malis iri liberatum? Eandem  
 uero spem, cum nostrae indignitatis co-  
 gitatio, aut minuit aut obruit: alia se in  
 his exemplis offert consolatio, cum illos  
 excellentissimos uiros aliquando non  
 minus, quam nos sumus, imbecilles ani-  
 mo, aut peccato grauatos, aut diffiden-  
 tia (quae omnia errata reliqua uincit)  
 lapsos

P R A E F A T I O.

lapsos esse animaduertit: urbes quoque  
 summis beneficijs affectas, similiter fu-  
 isse peccatis obnoxias: ueruntamē nec  
 has derelictas, & illos à Deo susceptos,  
 quoties de suis delictis ex animo con-  
 questi, & Dei misericordiam suspiran-  
 tes, ad bonam frugem, ut dicitur, se re-  
 tulerunt. Sæpius igitur repetenda eius-  
 modi historiarum, & inculcanda noti-  
 cia est, ut talium exemplorum copia &  
 multarum liberationum recordatione  
 cum ad pietatem, magnanimitatem, cō-  
 stantiam animare: tum inprimis ad lau-  
 dem diuinæ potentiæ ac bonitatis, nos  
 quoque ipsos incitare ualeamus. Hoc  
 Angelos, hoc Heroës facere regius  
 propheta uult, eos sic appellans in car-  
 mine suo, Laudate Dominum Angeli  
 eius, & heroës fortes, qui exequimini  
 cū celebritate mandata eius. Suo mox  
 exemplo quid nobis itidem faciendum  
 docens, hymnum enim dulcissimū qui  
 bus incœperat uerbis, gestiens atq; ex-  
 ultans concludit, Lauda Dominum a-  
 nima mea. Utinam cum uiro sancto si-  
 milem

B

milem

P R A E F A T I O.

milem alacritatem, geminum animum,  
 & parem impetum ad laudandum De-  
 um afferremus : occasionem quidem  
 non planè dissimilem nacti sumus : tu,  
 cum Dabercusio & Figulo, tempore  
 pestis periculosissimo, quæ familiam  
 quoq; tuam attigit, Dei benignitate li-  
 berati : ego cum Madeburgo, ipsius  
 quasi manu in loca tutiora deducti. Tu  
 autem Compater, cum propter munus  
 Ecclesiasticum maiore in sollicitudine  
 sis : & domestico mœrore, quem literis  
 significasti, anxius magis fueris : hunc  
 librum Victoriarum cœlestium ad te  
 mitto, eoq; magis, quòd aliqui acetum  
 asperferint uulneribus tuis, quibus si  
 homines essent, et fungi officio uellent,  
 facere medicinam debuerant. Cum au-  
 tem ex propositis sanctorum uirorum  
 certaminibus, Deum non modò pios  
 diligere, tueri, gubernare patris animo,  
 uerumetiam indulgentissimi patris af-  
 fectu, eorum periculis affici, gemitus  
 colligere, preces audire, lacrymas deter-  
 gere, & omnes ipsorum afflictiones pro  
 grato

P R A E F A T I O.

grato reputare sacrificio cernamus:  
optima spe simus, & de eo toto pectore  
pendeamus, ei nos nostraq; committa=  
mus, oremusq; ut hanc fiduciam suo  
Spiritu in nostris mentibus augeat atq;  
confirmet, donec ex hoc carnis erga=  
stulo liberati, & in sedes beatorum re=  
cepti, in Filio eius Iesu Christo ac=  
quiescamus. Vale. Ruri

ad Rederam Cal. Dec=  
cemb. Anno à na=  
to Christo,

M. D. LII.

B 2

GEOR.

GEORGII FABRICII  
CHEMNICENSIS, VICTOR  
RIARVM COELESTIVM,  
LIBER VNVS.

TRIUMPHI ANGELICI.

TRIUMPHVS I.

ANGELVS TRUCIDANS PRIMOS  
PARTVS AEGYPTIORVM.

Exodi XII. Psal. CIII.

POENA CONTVMACIAE.

**P**ERIURI nullo Pharaonis frangere monstro  
Duriciẽ Amramides et fera corda potest:  
Ac licet haud uno pugnaret in Hamide terra  
Prodigio, auditus non tamen ille fuit.  
Sanguineis mutat currentia flumina riuis,  
Exitium nato fert grauis unda gregi.  
Educit ranas, turpes fœdoreq; lendes,  
Et uermem ignotum gentibus antè malum.  
Sternuntur pecudes scabie, cadit hulcere uulgus,  
Ignito tegitur grandinis imbre solum.  
Inde nocens uastat saltus agrosq; locusta,  
Et tenebræ ex oculis eripuerè diem.  
Nil sine clade fuit: pereunt hominesq; feraq;  
Siluaq; quicquid habet, terraq; quicqd habet.  
Iam Deus extremam meditans immittere plagam,  
Prospexit populo fidus, ut antè, suo.

Agni



Agni mactati de sanguine tingere postes,  
 Liminaq; in domibus claudere cuncta iubet.  
 Nec mora, mandato peragunt solennia ritu  
 Isacidae, festas concelebrantq; dapes.  
 Nox erat, & terras animalia fessa per omnes,  
 Obscuro placidus tempore somnus habet:  
 Exit lethifero cum uindex Angelus ense,  
 Et Phariam multo funere uastat humum.  
 Prodierat primas quodcunque in luminis auras,  
 Perq; domos hominũ, per pecorumq; greges,  
 Morte cadit: solio clades iam Regis ab alto,  
 Ad minimam famulae uenerat usque casam.  
 Ast Hebræa mali gens expers mansit acerbi,  
 Pro populo uigilat nam Deus ipse suo. 22  
 Quam late pingui se pandit flumine Nilus,  
 Hinc clausus Libycis montibus, inde mari:  
 Agri omnes plangunt, reboant ululatibus urbes,  
 Pectora pulsa sonant, oraq; scissa gemunt.  
 Deflebant miseros matres sua gaudia natos:  
 Quantum nox, eheu, una doloris habet.  
 Terrori similis tanto non extitit ullus,  
 Quam fuit Aegypti terra habitata diu.  
 Insolitæ trepidant omnes formidine cladis,  
 Et casum metuit iam sibi quisque parem.  
 Orti non Cenchres expectat lumina solis,  
 Deq; sua populum cedere mandat humo.  
 Cunctantes pellit, querulis plebs uocibus urget,  
 Ante oculos poenæ tristia damna uidens.  
 Vestis & argenti fuerat quæ cuique supellex,  
 Portandam Isacidis ad sacra sponte dedit.



Aegyptus spoliata bonis, exhaustaq; plagis:  
» At populus Domini saluus, & auctus abit.

Condidit Angelicas Verbi uirtute cateruas,  
Obsequijsq; hominum iussit adesse Deus.  
Seu punire malos, seu uult defendere sanctos,  
Ad Domini imperium est turba parata sui.  
Atque Agno prima mactato ab origine mundi  
Seruit, & humanis officiosa bonis.  
Cœlicolis quoque nunc Ecclesia tuta ministris,  
Nudatos enses in sua colla fugit,  
Interitumq; uidet multorum læta malorum,  
Atque inter spinas, ut rosa uerna, uiget.  
» Nec secus ac circa frondosam surgit Idumen,  
» Et contra impositum palma repugnat onus:  
» Sic quoque pressa malis, se celsas tollit in auras,  
» Et fit sub magno pondere clara magis.  
Cui quãuis hominum truculenta potentia pugnat,  
Opprimit & uarijs membra pusilla modis:  
Angelicis adiuta tamen defensaq; signis,  
Contra hostes statuit pulcra trophæa suos.

## TRIVMPHVS II.

ANGELVS INTERIMENS  
ISRAELEM PESTE.

II. Regum XXIII.

POENA PROPRIAE FIDVCIÆ.

Isaides

**I**saides regni sceptrorumq; auctus honore,  
Hostilis turbæ uictor & ultor erat.  
Subiecti cupidus uires cognoscere regni,  
Et patriæ ut ueteres amplificasset opes:  
Num suus æquoreas populus superaret harenas,  
Quæq; habet excelsus lucida signa polus.  
Instituit lustrare acto tot millia censu,  
Et numerare dati fortia corda soli.  
Mox fert, militiæ primo, mandata Ioabo:  
Ast ea magnanimo displicuere uiro.  
Attamen urgentis uicit sententia Regis,  
Qui fidas clausa respuit aure preces.  
Zeruiaden duris obiurgat uocibus: at qui  
Mens subito pœnas ambitiosa luit.  
In Domini dextra melius posuisse salutem,  
Quàm stultè tumidum uiribus esse suis.  
Sidonios peragrat fines, celsæq; Damasci,  
Quaq; altum cœlo Sina cacumen habet,  
Littoreæq; subit præruptum culmen Ioppes,  
Iordanes ripas circumit inde tuas.  
Plenaq; iam decimæ fulgebant cornua lunæ,  
Zeruiades Regi nomina scripta refert.  
Tum demum Isaiden sua pessima facta putantem  
Pœnitet, & sese clamitat esse reum.  
Gadus erat uates, horrendæ nuncius iræ,  
Qui iussu accedit regia tecta Dei.  
Elige, ait, quæcunque placet pro crimine pœna,  
Plectere contemptus uult tua facta Deus:  
Aut tibi septennis nullos dabit area fructus,  
Aut per tres menses te tuus hostis aget.

Siue trium morbi uis est toleranda dierum,  
Te propter, genti sunt mala parata tuæ.  
Anxius Isaias uoluit ter tollere uocem,  
Lingua ter est trepido muta repressa metu.  
Angor, ait, sentitq; suos mens ægra dolores:  
Sed Domini satius duco subire manum.  
» Non cohibere suas humana superbia uires,  
» Sed Dominus clemens & bonus esse solet.  
Horrea, & amplius erat Lebusæi cæpus Araunæ,  
Ignito stetit hoc Angelus ense loco.  
Ensis lethalem mittebat fumidus auram,  
Pestiferum tellus heu tibi tota malum.  
Bis triginta hominum atq; decem iam millia letho  
Sustulerat rabidæ uis inopina luis:  
Tertia lux mæstum cælo produxerat orbem,  
Isaias Domini flendo gemebat opem.  
» Non uano quisquam confidens inuocat ore.  
» Aut ad difficilem fert pia uota Deum.  
Plaga relaxata est, & condidit Angelus enses,  
Reddit atq; est populo nuper adempta salus.  
Extruit, & pingues donis rex aggerat aras,  
Et fit commoti lenior ira Dei.  
Ad missam superat Domini clementia culpam,  
Nec solet esse, nisi cogitur esse grauis.

Angelicæ uires, & quicquid possidet orbis,  
In statione Deo cuncta uolente manent,  
Imperiumq; tremunt ualidum, nutuq; reguntur,  
Illius & peragunt omne iubentis opus.

Cuma

*Cum fauet ille, sua tum nos bonitate tuentur:*  
*Cum premit, in meritum dant sua tela caput.*  
*Sæpe mali culpam pendit Respublica regis,* 33  
*Cum spreto exequitur facta superba Deo.* 33  
*Quam pulcrum est, Domino tota confidere mēte,* 33  
*Nosq; eius tutos esse putare fide.* 33  
*Non cultus melior, non illi gratior ullus,* 33  
*Quàm sperare suum non aliunde bonum.* 33  
*Vt nobis desint uires: fert ille ministris*  
*De cælo, ardenti uoce rogatus, opem.*  
*Nec miser, aut orbis, cuius custodia talis,*  
*Tale satellitium munit utrunque latus.*  
*Verum qui surdas hæc non admittis in aures,*  
*Téq; tuis stabilem uiribus esse putas:*  
*Consilij uacuis plorabis damna tuorum,*  
*Et serò ereptas ipse quereris opes.*  
*Non tamen in medijs cessabit gratia pœnis,* 33  
*Nec grauis æternum scæuet ira Dei.* 33  
*Cum ueniam posito supplex errore rogabis,* 33  
*Et culpam fugiens, postea gratus eris.* 33

### TRIVMPHVS III.

#### ANGELVS INTERFICIENS ASSYRIOS GLADIO.

III. Reg. XIX.      Esaie XXXVII.  
 II. Paralip. XXXII.      Syrach XLVIII.

#### POENA BLASPHEMIAE.

B 5      Achafides



**A** Chasides patris uestigia fœda relinquens,  
 Flagrauit Domini totus amore Dei.  
 Aenea adorati fregit simulacra colubri,  
 Delubra in celsis sustulit alta iugis.  
 Succidit lucos uirides, statuásq; deorum  
 Ignibus, euersa relligione, dedit.  
 Nec minus auspicijs uicit felicibus hostes,  
 Armaq; pro sancta debita lege tulit.  
 Assyrio donec mandata tributa tyranno,  
 Finitimis uictis, pendere iussus erat.  
 » Sed seruare modum nescit furiosa cupido,  
 » Quæ gestit partis addere plura bonis.  
 Ergo etiam Assyrius Solymas aspirat ad arces,  
 Atque Palæstini rex cupit esse soli.  
 Fortuna elatum Rabsacem, animisq; superbum,  
 Multo in Iudæos milite mittit agros.  
 Euomit insanas templa in cœlestia uoces,  
 Cassam, aiens, Domini uiribus esse manum.  
 Subdita Medorum terrarum numina Regi,  
 Plurima que flammis ufferit ipse suis.  
 Ezechiam frustra populo spondere salutem,  
 Frustra implorari nomen opemq; Dei.  
 Hæc uasto ad ciues iactans pro mœnibus ore,  
 Impleisset ficto territa corda metu:  
 Ni pietas mentes reuocasset cognita Regis,  
 Et spes in Dominum curáq; iacta Deum.  
 Amosiden proceres mittuntur poscere uatem  
 Auxilium, & tumidi dicta referre uiri.  
 Rex pro Sidonio uelamine, uilia sumens  
 Templum adit, & mœsto flagitat ore Deum.

Nec

Nec non & populus supplex aduoluitur aris,  
Et genitrix natis uota ferenda præit.  
Stat positis armis, palmas ad sidera tendens  
Miles, & ætheream cœlitus orat opem.  
Ponite corde metum, uates ait, hæc mihi dicit  
Dicta Deus, uobis hæc ego dicta fero.  
Non ullo uester cingetur ab aggere murus,  
Non cadet in Solymas missa sagitta domos.  
Non clypeus circum fulgebit splendidus arcem,  
Hostilis saluam nec pes adibit humum.  
Me propter Solymam defendam fortiter urbem,  
Nomini ut magni notificetur honor,  
Vtq; meo Isaidæ constant promissa ministro,  
Cuius sepe fuit uera probata fides.  
Iam noua suspensas tenet expectatio mentes,  
Voce Deus uatis quam meditetur opem.  
Exerit ille suas tum demum numine uires,  
Quãdò hominum in duris cura laborat inops. 22  
Nox tenebrosa polo, terrisq; induxerat umbram, 22  
Corpora deposuit functa labore, quies.  
Angelus Assyrio madefecit sanguine campos,  
Vix adeò numerum turba necata capit.  
Sic torrens fusi manat tellure cruoris,  
Vt præceps subitis imbribus unda cadit.  
Obstupere oculi miracula tanta uidentum,  
Cum factam cædem prodidit orta dies.  
Abide natus agit grates, Dominúmq; celebrat:  
Cui cadit ante aras multa hecatomba sacras.  
Culmina profiliunt letantis celsa Sionis,  
Et Solyma festus personat urbe dies.

In De



» In Domino cuius stabilis fiducia, nunquam  
 » Fallitur, euentus spes habet illa bonos.  
 Cum dolor in summo est, uelutiq; puerpera nitens  
 Luctatur, nec quò se modò uertat, habet.  
 Indubitatus opem miris rationibus affert,  
 Prostratòsq; sua subleuat ipse manu.  
 » Non tanto affectu quisquam se diligit ipsum,  
 » Nos quanto omnipotens curat amore Deus.  
 Huic, dolor interior cum pectus sauciat ægrum,  
 Cùmq; tuum feriant uentus & unda caput:  
 Fer pia uota, manus attolle ad sidera puras,  
 In iussos adole thurea dona focos.  
 Nec non consilium sanctorum exquire uirorum,  
 Quis tribuit flatus corda perita sacer.  
 Nemo suis satis est munitus uiribus, et si  
 Possideat partas totius orbis opes.  
 » Nemo sua pietate potest splendorèq; niti:  
 » Ante Dei faciem noxa lutumq; sumus.  
 De Domino quisquis terræ cœliq; potente  
 Pendet, metitur robur & inde suum:  
 Eximie sapiens & fortis habebitur ille,  
 Et fidei tandem præmia summa feret.  
 Omnia quæ fecit peccata, obliuio tollet,  
 Atque preces magni ponderis eius erunt.  
 Utq; ipsum totus coniuaret perdere mundus,  
 Præsidium saluus sentiet angelicum.  
 » Nec Deus in sese sperantes deserit unquam,  
 » Inq; pijs ornat, quam dedit ipse, fidem.

TRIVM



TRIVMPHVS IIII.

ANGELVS SYRIOS FVGATOS  
MVRORVM RVINIS  
OPPRIMENS.

III. Regum XX.

POENA SVPERBIAE.

**S** Amariam infestis incurruut agmina signis,  
Stántq; in prærupto castra opulenta iugo.  
Benhadadæ ductum reges quater octo sequuntur,  
E Syria lectus flos erat omnis humo.  
Ad Regem minitans legatos mittit Achabum,  
Próq; salute urbis quæ facienda docet.  
Prauus Achabus erat, sanctos et corde Prophetas  
Sustulerat, fictis deditus usque dijs:  
Sed Deus ipse suos olim asserturus honores,  
Non putat ingrati facta scelesta uiri.  
Se propter noménq; suum bona publica præbet, 93  
Et nutu auertit cuncta pericla suo. 98  
Corda Morasthitem per uatem territa firmans,  
Consilijs acies instruit ipse Deus.  
Prælia Benhadadas successu prima sinistro  
Fecerat, & fœda cæde repulsus erat.  
Mox maiore mouens hostilia castra tumultu,  
Barbarico totam milite textit humum.  
Exit & ad bellum montane pauca iuuentus  
Samarie, & contra castra pusilla locat.

Non

Non secus ac pastor prærupta cacumina linq̄s,  
Caprarum exiguum ducit in arua gregem.  
Septima prodierat cœlo lux orta sereno,  
Auspicio Hebræis fausta futura bono.  
Cornua personuere, ciet caua buccina pugnam,  
In tela & gladios uulgus utrunque ruit.  
Millia qua pugna centum cecidere Syrorum,  
Arripuitq; citam relliqua turba fugam.  
Mœnia firma petunt fugientes urbis Apheccæ,  
Præsidium in miseris quæ breue rebus erat.  
Angelus euerse fundamina subruit urbis,  
Murorum & fossa concutit ima solo.  
Vna ruina hominum uiginti millia septem,  
Incautos letho præcipitēsq; trahit.  
Amriades nullas soluit pro munere grates,  
Nec benefactorem prædicat ore Deum.  
Benhadadæ donans uitã, et mala fœdera pangēs,  
Interitum domui comparat ipse suæ.

Quis benefacta Dei grato satis explicet ore,  
Quæ clemens confert hostibus ipse suis?  
Non animos addat placida ut pietate scel̄stis,  
Sed queat ut tantis conciliare bonis,  
Nominis útq; sui manifesta potentia fiat,  
Omnibus est omni quæ celebranda modo.  
» Dat Deus ipse animos, hebet átq; hostilia tel̄,  
» Estq; potens parua frangere magna manu.  
» Non semper uires, sed sæpe in milite uincit  
» Caussa, Deus caussam cum fouet ipse suam.

Ergo

Ergo quod ipse iubet constanti perfice dextra,  
Summus honor, iussis mentem adhibere Dei. 22  
Atroces feriet quoscunque uerebitur hostes,  
Mandatis Domini qui pia iussa facit.  
Ac si uictorem quis fortè effugerit ensen,  
Non tamen & tectas fugerit ille minas.  
Pro nobis turres, concussæq; infima terræ  
In rabidos hostes tela cruenta ferent.  
Tu modò cui dabitur cœlo uictoria, tota  
Mente, Deo grates & sacra iusta refer.  
Nam meriti quacunque obliuio ceperit hora,  
Auferet omne tuum pœna seuera genus.

## TRIVMPHVS V.

ANGELVS FVGANS TER-  
RORE SYRIOS.

III. Regum VII.

## POENA IMPIETATIS.

**S** Amariam Syriæ bello cinxere cohortes,  
Ducentes longas obsidione moras.  
Iámq; fames miseros exhauserat horrida ciues,  
Ante oculos diræ stabat imago necis.  
Victus erat, modò demta iugis armenta recuruis,  
Atque columbinum pro sale stercus erat.  
Torruerant flammis matres sua uiscera natos,  
Condiderántq; truces in rabida ora cibos.

Quadrus

Quadrupedes modò quinque super: nec rebus in  
 Cessat Saphatides fortia uerba loqui. (arctis  
 Tollere cùmq; illum rex feruidus ense pararet,  
 Nuncius haud populo desijt esse boni.  
 Crastinus antè suũ quàm sol circumegerit orbem,  
 Sic frumenti, inquit, copia uilis erit,  
 Dimidio ut siclo modius nec pluris ematur,  
 Cesset & in domibus tam diuturna fames.  
 Mira senex populo loqueris deliria, quidam  
 Præfectus tumido pectore regis, ait.  
 Quamuis in cœlo faciat Deus ipse fenestras,  
 Sermo tuus poterit non ratus esse tamen.  
 Verus ero uates, & te mea dicta probabo  
 Teste, sed haud uisis ipse fruere bonis,  
 Dicit Saphatides: nullius dicta Prophetæ  
 Vana uolant, cuius fatur ab ore Deus.  
 Dum tota unanimes uulgus iacit urbe querelas,  
 Ad populi Dominus respicit ipse precem.  
 Attulerant nigram uicina crepuscula noctem,  
 Tempore quo solitus pectora terror habet.  
 Angelus hunc auget terrorem: personat ingens  
 In castris fremitus: quin Syre cedis, adest,  
 Hostis adest, secũ regẽ cõiunxit Hethæum, (ces.  
 Quosq; Aegyptus habet terra propinqua du=  
 Nec mora, continuo trepidãtes castra relinquũt,  
 Non illis celeres scandere tempus equos.  
 Iungere nec sparsas obscura nocte quadrigas,  
 Non humeros clypeo, non tegere ense latus.  
 Abijcitur totis castris preciosa supellex,  
 Stratãq; erat multa ueste, superba uia.

Sic

Sic adeò abstulerat sanam trepidatio mentem,  
Angelus immissam sic iuuat ipse fugam.  
Fama, fame enectam, gratissima uenit in urbem,  
Castra relictæ, fugæ terga dedisse duces.  
Tum uulgus spolijs, Syriôq; quod inuenit auro,  
Damna amissarum pristina sarcit opum.  
Collectum uili frumentum uenditur ære,  
Vatis dicta suam promeruerè fidem,  
Quiq; illi ausus erat petulante resistere lingua,  
Et leuia in summum fundere uerba Deum:  
In porta pedibus nitentum concidit alta,  
Nec partæ potuit pacis honore frui.  
Hei mihi, nulla Deo pro munere gratia fertur,  
Ioramus populum perdidit ipse suum.  
Quiq; Deo laudes, Elisæi dicere uatis  
Debuit, immundi templa Bahalis adit.

Innumera humanæ cum sint incommoda uitæ,      »  
Pendendum unius de pietate Dei.                      »  
Ut nos atra fames, utq; aspera bella fatigent,  
Et positas rapiant ensis & hostis opes:  
Abijcienda tamen non est fiducia fortis,  
Quæ leuat in medijs pectora mœsta malis.  
Fide Deo cœli, uatesq; fideliter audi,              »  
Assiduâsq; pia concipe mente preces,              »  
Dum carpes dulcem tenebrosa nocte quietem,      »  
Depulsa surget nube, serena dies.                    »  
Nudus es, ipse Deus nudum hostis ueste fouebit,  
Pauper es, illius fundo opulentus eris.

C

Si

Si premet agra fames, eius saturabere pane,  
Si sitis, illius dolia, uina dabunt.  
Sume animum, expectáq; Deum: nec terreat un-  
Vis inimicorum te truculēta, nimis. (quam,  
Impius ad folij strepitum trepidabit inanem,  
Amittētq; citò quas cumulauit opes.  
Nam terrore suos Deus implet et implicat hostes,  
Excutit & celso quod tenuere solo.  
At nos turba Deo confisa, manebimus omnes,  
Et dites erimus de bonitate Dei.  
Ille gerit nostri curam, superósq; ministros,  
Qui nos conseruent nostráq; cuncta, dedit.  
Turba prophana pijs optatos surgere soles  
Cernet, sed pressu est interitura graui.

## TRIVMPHVS VI.

ANGELVS VISV PRIVANS  
PLEBEM SODOMI-  
TICAM.

Genesis XIX. Sapientie XIX.

POENA LIBIDINIS.

**T**hariades Sodomã per uernas liberat urbē,  
Et Regū inuadēs agmina quinq; fugat.  
Restituit patrie populum, populóq; salutem,  
Ereptásq; manu uindice reddit opes.

Exiguo

Exiguo meriti duravit gratia tanti  
Tempore: nam populus perditus ille fuit.  
Perditus utq; fuit, sic deteriora secutus,  
Cœpit peiores amplius ire uias.  
Non inopes curare, Deum contemnere, leges  
Negligere, iniuste uiuere ludus erat.  
Contemptus recti, tumidæq; superbia mentis,  
Improbitalisq; nouis luxuriosa malis,  
Et nimis impuræ probrosa licentia uitæ  
Laudi erat, & sceleri continuasse scelus.  
Si quis inauditas promebat criminis artes,  
Siue uoluptatis forte recentis opus,  
Flagitijue nouum genus introduxerat, atque  
Moribus addiderat publica damna malis.  
Ingenij laudem, primosq; ferebat honores:  
Integritas illo maxima culpa loco.  
Quiq; alibi infames, hac improbitatis asylum  
Urbe frequens tota constituere sibi.  
Nec quisquam tales audebat carpere mores,  
Aut se hostem ullius significare mali.  
Inferni in terris si sedes ulla profundi,  
Inferni sedes urbs Sodomæa fuit.  
Vnus erat Lothus, aduersus sua secula rectus,  
In uera moderans religione domum.  
Sæpe suos idem docuit meliora propinquos,  
Inuisumq; Deo linquere iussit iter,  
Testatusq; eius benefacta recentia, pœnæ  
Admonuit, quam tunc urbs spoliata tulit:  
Cum per Idumæos amiserat omnia Reges,  
In uincla, & miserum penè redacta iugum.

At hæc dicta leues infelix fudit in auras,  
 Pro merito referens probra pudenda suo.  
 Vsque adeoq; nihil profecit iusta docendo,  
 Ut uicium in cunctos cresceret omne dies.  
 Sic mens illius turba cruciata malorum,  
 Ut uincta qui fert uerbera dura manu.  
 Fortè sedens porta, cum sol se mergeret, alta,  
 Hospitio iuuenes accipit ecce duos.  
 Esse Dei nescit tecta sub ueste ministros,  
 Compulit ut iussæ tecta subire domus.  
 Ponit aquas pedibus, coxitq; recentia farræ,  
 Condiuit uultu colloquioq; dapes.  
 Tempus erat, quo dant homines sua corpora somni  
 Circunstat clausas plebs furibunda fores. (no,  
 Cum puerisq; senes faciunt clamore tumultum,  
 Inq; bonum iaciunt turpia uerba senem,  
 Hospitibusq; parant, patrio mihi more tacendum,  
 At tibi consuetum Romula terra nefas.  
 Haranides dictis insanos mulcet amicis,  
 Pollicitisq; animos uult inhibere feros.  
 » Improbilas nullas uirtuti commodat aures,  
 » Stultus & augetur præcipiendo furor.  
 Conantur firmos petulanter rumpere postes,  
 Atque senis castam ui temerare domum.  
 Quam iuuenes cælo demissi nube tegebant,  
 Ne clausam posset quis reperire seram.  
 » Turba salax oculis (mirum) caligat apertis,  
 Et redit illæsa cæca uidensq; domo.  
 Mox cum natabus trepidans educitur hospes,  
 Percipiens meriti præmia iusta sui.

Attige



*Attigerant montes, glomeratur sulfuris imber,  
Urbs fit cum fœdis ciuibus, atra cinis.*

*Stat diuturna malis nullius gratia facti,            >>  
Et meritum uentis est magis omne fugax.            >>  
Tempora nec quærent, quis uerè uita beata,            >>  
Atque Dei, parta pace, colatur honor:                >>  
Sed quibus impuræ peragant nequissima uitæ        >>  
Otia, & in luxu uiuere turpe queant.                >>  
Ac nisi doctrinæ mansissent semina sanctæ,  
Tempora non essent hæc meliore loco.  
Nec meliore loco nostri sunt tempora secli,  
Quo tenet in cursu libera frena furor.  
Nam uexare pios, blasphemam soluere linguam,  
Cùmq; sacris ipsum dispoliare Deum,  
Lædere non meritum, lasciuam ducere uitam,  
Omne patrare malum, præmia laudis habent.  
Hulcera nec patitur tangi deformia mundus,        >>  
Sed nutrit morbos improbitate suos.                >>  
Dicta tamen templis, & doctis tradita libris,  
Haranides aliquis condita mente tenet.  
Nec sua, recta sequens, detorquet lumina retro,  
Sed stabilem peragit simplicitate uiam.  
Atque Deum iusso colit obseruâtq; timore,  
Instituens paruos in pietate lares.  
Quem licet innumeris incessat uocibus orbis,  
Conetur pulsa perdere iámq; domo:  
Non tamen ipse pijs negat hospita tecta ministris,  
Próq; illis pugnat qua ratione potest.*

Ille etiam flammis quando impia turba peribit,  
Et mundi in cineres omnis abibit honor:  
Tutus erit, tangens excelsa cacumina montis,  
In quo perpetuæ tempora pacis erunt.

### TRIVMPHVS VII.

ANGELVS ERIPiens VISVM  
SYRIORVM EXERCITVI.

IIII. Regum VI.

### POENA CONFIDENTIAE.

**I**oramus pressus Syrijs crudeliter armis,  
Consilia à Sancto plurima uate petit.  
Nam leuiore manu gentem ut superaret Hebræã,  
Ad tacitos Syriæ rex fugit arte dolos.  
Collocat insidias aut montis ualle reducta,  
Obsidet aut cœcas fraude latente uias.  
Samarie, uatis monitu, rex omnia sentit,  
Et multa euadit sedulitate malum.  
Quod Syrius castris loqueretur, milite coram,  
Quòdq; in conclauì præmeditatus erat,  
Voce Dei uates ad regem detulit, ac si  
Auribus hausisset singula uerba suis.  
Benhadadas, toties quem spes concepta sefellit,  
Moliri cernens se sine teste nihil:  
Miror, ait, nostras quis captet transfuga uoces,  
Consilij promens abdita cuncta mei?

Suscipit

Suscipit ex ducibus, non ueri nescius, unus:  
 Hæc hostis nouit uate canente tuus.  
 Cernit Saphatides diuino numine tecta  
 Omnia, & hæc regi uisa repente refert.  
 Quæsitum lectas mandat rex ire cohortes,  
 Qui soluant tanto regia castra metu.  
 Circundant Dothanam multis cū millibus urbem,  
 Hic sedes inopis paruula uatis erat.  
 Tota domus duo sunt, uates uatisq; minister,      >>  
 Incolit exiguam sed Deus ipse domum.              >>  
 At puer ut uatis, currus conspexit equosq;  
 Frigida semianimis pectora terror habet.  
 Nunciat ad Dominum miserandis uisa querelis,  
 Iamq; putat captos hostibus esse lares.  
 Pone metum, uates, non defensoribus, inquit,  
 Parua caret, Domino peruigilante, domus.  
 Ecce Deus nubem pueri de lumine tollit,  
 Custodésq; ædis uate precante uidet.  
 Mons erat ignitis circumdatus undiq; flammis,  
 Angelus æthereos plurimus urget equos,  
 Próq; pio uigiles sunt in statione Propheta,  
 Ne uis infirmum læderet ulla senem.  
 Sancte Deus, quis te memori satis euehat ore?  
 Qui nostri curam more parentis agis.  
 Iamq; propinquabant hostilia mœnibus urbis  
 Agmina, dat uates supplice uoce precem.  
 Mi Deus, his oculos turbatámq; eripe mentem,  
 Ne cœci uideant, quæ manifesta tenent.  
 Vota fides sequitur: hostes nam lumine captos,  
 Intra altæ ducit mœnia Samariæ.



Cúmque tenerentur clausis Syria agmina portis,  
Se captos uisu mox redeunte uident.  
Quos uati innocuo nexus & uincla pararant,  
Gestasset collis perfida turba suis:  
Ni uates Regem uerbis placasset amicis,  
Facta iubens Syrio mira referre duci.  
Acceptus dapibus dimittitur improbus hostis,  
Terraque ab infesto tuta latrone fuit.

- » In solo sperare Deo, tutissima res est,  
» Spem fidam nunquam non iubet esse ratam.  
Exulibus patriam caelestia templa parauit,  
Subiecitque omnes totius orbis opes.  
Illustrat sancto mortalia pectora flatu,  
Inque pijs sedem cordibus ipse legit.  
Nosque per aethereos mira ratione ministros,  
Mille modis seruat, mille tegitque locis.  
» Hostibus est nostris hostis, quos mente rogatus  
» Non dubia, iusso uindicat ipse modo.  
Seque adeo facilem praebet pietate parentem,  
Ut superet meritis nostra petita suis.  
Defendit miserum corpus, mentemque gubernat,  
Quasque dedit, duro tempore seruat opes.  
De caelo carum donat super omnia Natum,  
Qui gerit in membris uulnera nostra suis.  
Arbitrio cuius motus, post ultima uitae  
Tempora, dat superam regna beata domum.  
» Corpora sed citius numeres stellantis Olympi,  
» Quam benefacta queas commemorare Dei.

TRIVM=

## TRIUMPHVS VIII.

ANGELVS RESISTENS BILEAMO  
AMMONITARVM VATI.

Numer. XXII. Deuter. XXIII. Iosue  
XXIII. II. Petri II. Apocalyp. II.

### POENA DATI CONSILII MALI.

**L**iquerat ut Pharios gens Iosephæa penates,  
Excelsa Domini libera facta manu.  
Dum locupletis adit terræ felicia rura,  
In qua lactis eunt flumina, mellis eunt.  
Non ualuit genti uis ulla resistere sanctæ,  
Prospera pro populo bella gerente Deo.  
Marte laceffentem Cananæum uicit Aradum,  
Regnâq; Amorrhæus luget adempta Sehon,  
De strato ferri Basanum depulit Ogum,  
Distribuens urbes, distribuensq; greges.  
Terror finitimas inuaserat undique gentes,  
Non animi satis his consilijq; fuit.  
Sollicitæ natos pressere ad pectora matres,  
Collo hæsit coniunx exanimata uiri.  
Audierant reges bello cecidisse superbos,  
Et data non uni corpora capta neci.  
Ziphorides eadem metuens Moabita, remoti  
Limina, transmissio munere, uatis adit.  
Euphratem iuxta uates habitabat, at illum  
Non cessat multa sollicitare prece:

C 5

Deuocet

Deuoueat diris uenientes in sua regna  
Isacidas, populo dicat amica suo.  
Beorides monitu diuino: non ego regis  
Possum implere, inquit, iussa, uetante Deo.  
Dimissos frustra Balachus maiore remittit  
Pompa, datq; alijs dona ferenda uiris,  
Si forsā posset uatis mollire rigorem,  
Et trahere in partes ambitione suas.  
Propositum seruat uates: non si mihi sceptrum,  
Non aurum Balachus si daret omne suum:  
Verba, inquit, Domini possem mutare iubentis,  
Aut Regi uestro mollia dicta loqui.  
Sustulit alterius tenebras aurora diei,  
Voce Dei uates carpere cœpit iter.  
Impedijt frenis asinam, sequiturq; uocantes:  
Exarsit moti protinus ira Dei.  
Angelus exerto Bileamum detinet ense,  
Dēq; uia brutum cogit abire pecus.  
Quod crura angusto dum triuit calle sedentis,  
Verbera percusso tergore multa tulit.  
Quid premis iniuste seruum pecus? incipit agra  
Fari asina: hæc merces digna laboris erit?  
Ecce autem ut uisus uati Angelus ense corusco,  
Concidit, & prona lapsus adorat humo.  
Assum (ait ille) tuis ut cœptis ipse resistam,  
Et stultum impediam, quod malē pergis, iter.  
Quod nisi te cursu flexo seruasset asella,  
Mucro tuum hausturus perfide pectus erat.  
Verū age carpe uia: sed nil tua lingua loquatur,  
Quam præsens quæ te iussero uerba loqui.

It pa

It pauidus uates, & prospera cuncta precatus  
Saraidis, Balacho dura minatus, abit.  
Attamen astuto promebat pectore prauum  
Consilium, populo quo nociturus erat.  
Prostituat lectas ut tota gente puellas,  
Alliciátq; suis munera ferre dijs.  
Relligio uiolata, fides neglecta pudoris,  
Irritant placidi mitia corda Dei.      23  
Hoc Nabor, hoc Buzus mōstrarat auúsq; patérq;  
Alter ad Euphratis, Tigridis alter aquas.  
Nec consultoris Regem mala lingua sefellit,  
Nec minus auctori perniciosa fuit.  
Quinque duces uicti cum Madianitide gente,  
Cúmq; tuo regno cæse Moabe iaces.  
Interit & ferro uates Bileamus acuto,  
Consilium dederat qui leuitate malum.

Cui Deus exhibuit cœlestia munera uati,  
Quémq; animi expertem noluit esse sui:  
Nil nisi quod cœlo docuit Deus ipse, loquatur,  
Et Domini faciat iussa seuera sui.  
Munera nec Regum blandorum curet iniqua,  
Nec precio flecti pectora recta sinat.  
Quisquis auariciae studet, aut popularibus auris,      23  
Hic uerè nunquam de pietate docet.      23  
Regibus, in miseris rebus reuerentia uatum  
Nascitur, in letis ultima cura sumus.  
Tunc auro cupiunt mercari numinis auram,  
Quæ precibus, sola quæq; paranda fide.

Què

» Qui uult esse pius, pomposas deserat aulas,  
 » Atque suæ sortis munera paruus amet.  
 Inprimis illi studeat se iungere turbæ,  
 Quæ celebrat uerum supplice corde Deum.  
 Angelici pro qua sunt in statione ministri,  
 Et pro qua uigilat, qui tenet alta, Deus.  
 » Consilio prodesse malis, res plena periculi est,  
 » Nam fert interitum perniciemq; bonis.  
 Si non uis igitur miseranda occumbere morte,  
 Atque malis pœnam ferre fauendo parem:  
 Lædere re noli, uel dicto offendere sanctos,  
 Quos fouet, utq; oculos curat amatq; Deus.  
 His quamuis aliquis cupiat maledicere, uerba  
 Omnia in ipsorum uertit acerba bonum.

## TRIVMPHVS IX.

ANGELVS CAEDENS HELIODO-  
 RVM SELEUCI SYRIAE  
 REGIS TRIBVNVM.

II Machabæorum III.

## POENA SACRILEGII.

**B**Eniamides, odijs iniustis, hostis Oniæ,  
 Cecus auaricia, seditione potens.  
 Munere Thrasidæ sibi conciliauit amorem,  
 Euertens omnes proditione bonos.  
 Insinuat Regi se per malefacta Seleuco,  
 Dum cupit illicitis aulicus esse modis,

Crimi-



Crimineq; ut placidum premeret furiosus Oniam,  
Infido uersat pectore grande nefas.  
Condita quæ fuerant, auri argentiq; talenta.  
Totius & sacræ prodidit urbis opes,  
Cura sacerdotum, mensq; expers fraudis Onia,  
Quas tutas eius credidit esse fide.  
Quid non improbitas audet, cum sacra fidemq;      >>  
Abijcit, & uerum quis negat ore Deum?      >>  
Hortatu instruitur dubij sententia Regis,  
Quiq; metum facti tolleret, unus erat,  
Hic Simon unus erat, quo non sceleratior alter,  
Gentiles superans impietate uiros.  
Relligio sacrum fuit attrectare, sed isti  
Persuadere nefas curaq; amorq; fuit.  
Heliodorus erat, cui summam credere belli  
Rex solitus, quoduis promptus adire scelus.  
Huic mandata sacras dat res auferre Seleucus,  
Expositisq; iubet ferre petita dolis.  
Ingressus Solymam nil tale timentibus urbem  
Ciuiibus, ad populum regia iussa refert.  
Inuadit templum donis opibúsq; superbum,  
Et loca gentili non adeunda pede.  
Squallidus incedit demisso lumine Onias,  
Et signa in uultu mœsta dolentis habet.  
Turba Sacerdotum terra prostrata iacebat,  
Mittebat querulos plebs gembunda sonos.  
Pro gemmis auróq; ferebant uilia matres,  
Plangebant teneros uirgo puérq; sinus.  
Non secus ac subitus si mœnia diruat hostis,  
Cædèq; direptas wastet, & igne domos.

Audijt

» Audijt omnipotens alto suspiria cœlo,  
» Neglexit populi nec pia uota sui.  
Ecce uir altus equo, splendentibus aureus armis,  
Sacrilegum illisa calce, premebat humo.  
Tum bini iuuenes cædebant fustibus ausum  
Tangere non licita dona sacra manu.  
Mutus inopsq; iacet, pulsatus uerbere cœco,  
Deserit officium mēnsq; manúsq; suum.  
Semianimis multa fluitabant lumina nocte,  
Spiritus angusto pectore rarus inest.  
Attoniti circum quærebant tuta ministri,  
Qui domini flentes liuida membra fouent.  
Quæq; prius tacita mussabant templa querela,  
Læticiæ plenis personuere modis.  
Hosti uita ipsi precibus donatur Oniæ,  
Et sentit populi uota ferentis opem.  
Nec tale ingratus meritum negat Heliodorus,  
In toto sceleris corpore signa gerens.  
Iam supplex illo soluit Soteria templo,  
Quod spoliaturus, si licuisset, erat.  
Heliodorus adest humilis: nil corda Simonis  
Perfida dementis, signa Deusq; mouent.  
» Durior est Pario præfractus apostata saxo,  
» At celeres eius pœna stat ante pedes.

» Difficile est auro commisso rite præesse,  
» Diuitijsq; auidas abstinuisse manus.  
» Sed grauius multò, cum magnos quæris honores,  
» Iusticiam, & sanctam non temerare fidem,

At dum

At dum magna petunt, inbiantq; aliena Simones,  
 Flagicio euertunt astra solúmque suo.  
 Siue datur templis illos regnare fóroque,  
 Iura opibus, leges utilitate probant.  
 Aut sacra prostituunt, aut publica commoda pro  
 Inque bonos pugnant seditioe uiros. (dunt,  
 Cúmque ipsi teneant & opes, sceptrisque fruuntur,  
 Pauper ubique iacet, iustus ubique iacet. »  
 Instigant aliquem promissis Heliodorum,  
 Et reges ficta religione mouent.  
 Qui iussa illorum, quamuis iniusta, facessant,  
 Quique pericla illis, quæ subeunda, ferunt.  
 Interea peragunt pingues securi Simones  
 Otia, non homines, non metuendo Deum.  
 At citò tempus erit, cum illorum fama peribit,  
 Vitæque sulfureis non morietur aquis.  
 Scilicet horrendi comitantur gaudia fletus »  
 Impia, nec finem sunt habitura mali. »  
 Nam cœlo residens, & numine cuncta gubernans,  
 Securæ uindex improbitatis erit.  
 Ille Simoneos quoque nunc post pauca ministros  
 Tempora, possessa præcipitabit humo.  
 Puniet illorum tectas in luce rapinas,  
 Debitus ut templis restituatur honor.

## TRIUMPHI HEROICI

### TRIUMPHVS I.

#### VIRGA MOSE.

MIRA

MIRACVLOSVM AEGYPTI VNI-  
VERSÆ NAVFRAGIVM.

Exodi XIII. Psalmo CV.

POENA PERTINACIAE.

**C**ENS Iudæa iugo rigidi uexata tyranni,  
Seruitij rupit umcla, iubente Deo.  
Vix Moses uarijs permouit pectora signis,  
Ire Canopæa posset ut hospes humo.  
Totius interijt flos una nocte iuuentæ,  
Quàm latè reflua Nilus inundat aqua.  
Ire iuebatur mandato Regis Hebræus,  
Nec non cœptum urget territa Memphis iter.  
Ibat ouans raptum Pharaonis carcere uulgus,  
Læticiæ subitæ sed breue tempus erat.  
Antè stat unda maris, sequitur post terga tyrānus,  
Alti obex cingit montis utrunque latus.  
Fit sonus, & totis oritur trepidatio castris,  
Et planctu reboat uallis Hirota graui.  
Inq; ducem uulgus iactat conuicia Mosen,  
Pœna nouæ ante oculos horrida mortis erat.  
Erigit abiectos fortis sapientia Mose,  
Quæ signis multis antè probata fuit.  
Ignauum, gens cara Deo, dimitte timorem,  
Expecta q; Dei respicientis opem.  
Spondet inauditam de cœlis ipse salutem,  
Prælia pro uita finiet ille tua.  
Ille tuum moderatur iter: uiden' ignea nubes  
Angelico radiat fausta fauore tibi?

Lumina

Lumina non istos tua cernent amplius hostes,  
Plaga Parætonios hauriet una lares.  
Nanque propugnator pro nobis Angelus astat,  
Et populi tergum nube micante tegit.  
Aequoreas uirga Moses ut percutit undas,  
Montani scopuli fixa stat instar aqua.  
Gens calcat siccum (uisu mirabile) marmor,  
Eripitur placido perq; sonora pede.  
Attonitus monstribus, & cæca percitus ira,  
Immittit celeres rex furibundus equos,  
Hortatúrq; suos: ergo ibit seruus inultus,  
Hinc ait, è Phario plebs fugitiua solo?  
Utq; ingressus erat Rubrum cum milite pontum,  
Pectora torpebant exanimata metu.  
Nempe Deus turbat fluctu titubante cohortes,  
Detrahit & fluxas curribus ipse rotas.  
Extulit Amramides tunc per freta stantia uirgam,  
Obruit unda uiros, obruit æquor equos.  
Agmina non solito pereunt Maræotica letho,  
Nullus & è tanta clade superstes abit.  
Iámq; natans aliquis, uacuis spe, gurgitis undis,  
Iosephi uerum prædicat esse Deum.  
Inachiáq; canem cum uacca culpât Anubim,  
Datq; in ridiculos aspera uerba deos.  
Interit Aegyptus, cantat præconia Moses,  
Fœminea resonant tympana pulsa manu.  
Castra fremunt plausu, uox multis nulla diebus  
Muta fuit, celebri fertur honore Deus.  
Illa superba animi perijt uis, turba fidelis  
Seruatur, siccum cui dedit æquor iter.

D

Apri

» A primis serui peccati nascimur annis,  
 Mancipiúmque feri demonis omnis homo est.  
 Nos paradisiacis mendax qui exterminat hortis,  
 Quando eius nostra est uita necata dolo,  
 Fœmina cum uetitum decerpfit ab arbore pomũ,  
 Porrexitque suo noxia mala uiro.  
 Illa dies cœli miseros spoliauit honore,  
 Subijciens diro credula corda iugo.  
 Hei mihi quos captis laqueos, quæ uincla parauit,  
 Cum Babylon famulum pressit iniqua caput.  
 » Unus homo nobis moriendo restituit rem,  
 Qui tamen ante fuit secula cuncta Deus.  
 Ille graues hominum casus, miserósque labores  
 Suscepit, patrios dum iacet ante pedes.  
 In se commissi deriuans criminis iram,  
 Et læsi subiens iura seuera Dei.  
 Ille suo nostram deleuit sanguine culpam,  
 Atque salutari corda nouauit aqua.  
 Corruptam labem baptismatis abluit unda,  
 Amissum reddens quicquid honoris erat.  
 Nos per aquas tuti transiuimus: inde renati,  
 Cœlitibus iuncti rursus amore sumus.  
 Contritum caput est torti crudele draconis,  
 Nat Pharaon in uasto piscibus esca mari.  
 Dux noster Christus deuicto dæmone, morte,  
 Peccato, patrias duxit ad ipse domos.  
 Læta canit meritos Ecclesia salua triumphos,  
 Et celebrat tempus grata per omne Deum.

Qui

Qui cœlis residens, pronas clamantibus aures      93  
Porrigit, & nostris ingemit ipse malis.      93  
Ferre paratus opem miseris, frenare potentes  
Fortis, & una hostes mergere clade suos.

## TRIUMPHVS II.

TVBA IOSVÆ.

EXCIDIVM HIERICHVNTIS.

Iosue VI.

POENA SVPERBIAE.

**N**vmides ueniens tumidas Iordanis ad undas,  
Ambulat intrepido per uada sicca pede.  
Mox adiens clausis trepidantia mœnia portis,  
Spectat casuras Hierichuntis opes.  
Buccina personuit septenis alta diebus,  
Aduenit optata septima luce dies.  
Insonuere tubæ, reboans ferit æthera clamor:  
Mœnia, & excelsæ procubuere domus.  
Armatum pavidam uulgus ruit omne per urbem,  
Tollitur hostili uirq; puerq; manu.  
Nec prius exertus uagina conditur ensis,  
Omnia quàm cespes corpora cæsa tegat.  
Hospitij meritum meretrix capit unica pignus,  
Et sedem in populo cœpit habere Dei.  
Vna ruina solo totam hausit funditus urbem,  
Vastauitq; eius hostis & ignis opes.

Quid uis mutato Iordanes fluminis alueo,  
Ad fontem uersis quidûe recurris aquis?

D 2

Omnia



Omnia diuino cædunt quæ condita uerbo,  
 Conditor hæc nutu temperat ipse suo.  
 Nil profunt clausis ærata repagula portis,  
 Et ruit omne, adamas ut liget illud, opus:  
 Cum tuba diuini clarissima personat oris,  
 Clamantúmque implent sidera uoce preces.  
 Inque Deo ponit cum protectore salutem,  
 Et retinet, Dominum turba professa, fidem.  
 Tum desperatis nil profunt hostibus enses,  
 » Impia nec magnas arma tuentur opes.  
 Sola Rahab, quamuis infami obnoxia culpæ,  
 Dum timet, & populi pars cupit esse Dei,  
 Hospita sanctorum, morésque exosa priores,  
 Eripit e media seque suosque nece.  
 » Impia turba cadit, proprijs confisa superbe  
 » Viribus, & nullo damna leuante perit.

### TRIVMPHVS III.

TVBA GIDEONIS.

CLADES MIDIANITARVM.

Iudicum VII.

POENA INIVSTICIAE.

**M**idian aspiciens orientis lumina solis,  
 Bella Palæstinis aspera mouit agris.  
 Hunc contra tumidúmque minis, opibusque potentē,  
 Induit excitis Gideon arma uiris.  
 Ipse, iubente Deo, gens Israëlitica ferret  
 Agmina ne forti se superasse manu:

Dimittit



Dimittit trepidos, animosq; pectora tentat,  
Fluminis ad ripam pulcer Harode tui.  
Deligit hinc iuuenes tota de gente trecentos,  
Et triplici eximios in statione locat.  
Fert manus hæc uacuã facibus splendentibus ollã,  
Illa grauem rauco quæ sonat ære tubam.  
Ut sonuere tubæ, strepitu rumpuntur ut ollæ,  
Lampas & ut flammam plurima nocte uomit:  
In se conuersis ruit insanabile dextris  
Vulgus, datq; citæ terga imbonesta fugæ.  
Ioaides sternit palantes: quatuor ille  
Et capit, & captos sustulit ense duces.

Impie quid fragilem dubijs spem ponis in armis?  
Nemo nocet populo, ni sinat ipse, Dei. >>  
Scilicet ille suis animosq; ducemq; ministrat,  
Exiguãq; solet firma ferire manu. >>  
In sua nec recipit trepidantem castra, sed illum  
Qui celso nouit pectore ferre crucem,  
Quiq; suum toto prosternit gramine corpus,  
Ut prono arentem subleuet ore sitim.  
Hic generosa ferens, sacroq; sonantia uerbo  
Ora, ferus turbat quas habet hostis, opes,  
Ardentemq; suæ fidei cum lampada quassat,  
Vertit in abruptam terga pudenda fugam.  
Cõterit omne quod est luteũ: nec frangere cessat  
Bella gerens Domini, futile carnis opus.  
Cum gladius Domini, cũ uox sonat alta triumphi,  
Tum Zephyro citius turba scelesta fugit.

» Fide Deo, impugnâq; malos : sic uicta uidebis  
» Ante iacere tuos castra inimica pedes.

TRIVMPHVS IIII.

MAXILLA SIMSONIS.

CAEDES PHILISTAEORVM.

Iudicum XV.

POENA RAPTVS.

**Z** Argites, rapta Thymnatide, concitus ira,  
Vulpe Philistæos ignéq; perdit agros.  
Tradere captiuum quem plebs Iudæa iubetur,  
Vt damni pœnas penderet ille dati.  
Quid facerët? domino quia mandabatur ab hoste,  
Adducunt uinctum terga manúsq; uirum.  
Lucida lætantum ferit ingens sidera clamor,  
Illudit capto, uir muliérq; uiro.  
Spiritus æthereo Simsonem robore firmat,  
Vincla manu, sicut ignibus usta, fluunt.  
Arripiens asini malam tum fortè repertam,  
Mille uiros una deijcit ipse nece.  
Victor abit, facti signantur nomine terræ,  
Ipse ægro sitiens gutture quærit aquam.  
Emittens fontem, dens malæ finditur unus,  
Heroi fesso uitáq; ménsq; redit.

Scilicet hæc ipsa par est contendere lucta,  
Victoris quisquis nomen habere cupit.

Lex

Lex ligat, & duris constringit pectora nodis,  
 Et nos in certam proijcit illa necem.  
 Nam non est hominum, legem qui compleat, ullus, ce  
 Mandatáq; colat qui pietate Deum.  
 Iudicio legis laqueati, tradimur hosti,  
 Et meritas pœnas improba uita subit.  
 Sic igitur uinctis, est præsto numinis aura,  
 Quæ captæ soluit uincula sæua manus,  
 Quæq; Euangelij fundit sitientibus undam,  
 Mentibus unde ægris gratia larga fluit.  
 Ipse Dei natus, dum legi subditur, omne ce  
 Excutit effuso sanguine Christus onus. ce  
 Solamen, requies, uictoria, gratia, uita ce  
 Reddita, iamq; sumus libera turba Deo.

TRIVMPHVS V.

PEDVM SAMGARI.

CAEDES PHILISTAEORVM.

Iudicium III.

POENA LATROCINII.

**A**gypti excutiens sæuas dominãtis habenas,  
 Promissúm; petens gens Ephraemæa so  
 Iussa fuit cunctas armis excindere gentes: (lũ,  
 Sed uoci rarò paruit illa Dei.  
 Cúm; sibi partam iam crederet esse quietem,  
 Aspera gentilis suscitât arma furor.  
 Nulla Philistæo tamen est atrocior hoste,  
 Quinque ferox ducibus, fortibus alta uiris.  
 Illa infusa plagis prædatrix fortè propinquis,  
 Oppida uastauit cædibus, igne domos,

D 4

Atq;

Atq; greges uacuis abigens armentaq; campis,  
Inde abiit spolijs rursus onusta domum.  
Anathides cernit dispersos Samgarus hostes,  
Vt pauit patrios lata per arua boues.  
In sua uota Deo, gemitu precibusq; uocato,  
Fortis, ait, Domini est omnipotensq; manus,  
Arripiensq; pedum, quod pastorale gerebat,  
Latronum fugiens fortiter agmen adit.  
Sexcentos baculo, dictu mirabile, sternit,  
Excutit & patriæ barbara uincla suæ.

Nostra Deus uarijs castigat crimina pœnis,  
Vt legis faciat nos meminisse suæ:  
» Vindice sæpe manu patrium quatit ille flagellum,  
Ne sinat in mores luxuriare malos.  
Sed lethale tenet torpentia pectora frigus,  
Quæ secura suæ praua salutis agunt,  
Nec delicta prius miseræ cognoscere uitæ  
Incipiunt, quàm iam pœna sit ante pedes.  
Supplicium ipse tamen placatus mitigat omne,  
Quando homines sceleris pœnituisse uidet.  
Nec partis hostes finit exultare triumphis,  
Quos cursu in medio perdere sæpe solet.  
Viribus exiguis constat uictoria: nanq;  
Dextra Dei, populo uirga pedumq; suo.

## TRIVMPHVS VI.

FVNDA

FVND A DAVIDIS.  
GOLIATHI GIGANTIS CAEDES.

I. Regum XVII.

POENA AVDACIAE.

**A** Rma Philistæi Iudææ acerrima genti  
Intulerant, populo plebs inimica Dei,  
Castrâq; iam stabant Sochothæo barbara colle:  
Otia securus libera miles agit.  
Dextra mihi Deus & telum: sic uoce minatus  
Impia Gathites soluerat ora gigas.  
Stans primam ante aciem, frustra cōfidentis, inquit  
Viribus, est uester nomen inane Deus.  
Verba quater denas hæc iactat friuola luces,  
Pectora sollicitus terret Hebræa timor.  
Non tulit hunc animis, & uasta uoce frementem,  
Pro laude, Isaiides promptus ad arma, Dei.  
Loricam spernens, & magni ponderis hastam,  
Aeneâq; insoliti cætera tela uiri:  
Ecce assum Domini bellator nomine nostri,  
Nomina Zebaothi qui tremebunda tenet,  
Ille tuum minuet robur puerilibus armis,  
Eripietq; mea colla superba manu.  
Nec mora, libratam fert circum tempora fundam,  
Et saxum aduersi frangit in ora uiri.  
Moles uasta ruit, rupes ut montibus alta,  
Ac perit imbelli uis truculenta manu.  
Cætera turba fugit, totis timidissima campis,  
Laudibus Isaiides fertur ad astra puer.

D 5

Militat



- » Militat omnis homo, qui dat sua nomina Christo,  
 » Quiq; Deo uero corde placere cupit.  
 Hunc ipsum castris peruersus circuit orbis,  
 Horribilis præfert cui sua signa Sathan.  
 Ille pios omnes fastúq; minisq; laceßit,  
 Quem contra fragilis non mouet arma caro.  
 Sed trepidās, pprias dum respicit improba uires,  
 Mussat, & abiecta mente pudenda iacet:  
 Præmia nec curat cœlestia, nam nimis eheu  
 Turba pusilla sumus, perdita turba sumus.  
 Ecce autem sumens animum pro laude uirilem,  
 Inq; Dei ponens uoce, salutis opem:  
 Excedit castris pavidis, suáq; expedit arma,  
 Nititur & sola bella gerendo fide.  
 Indomitus sternit Sathanam, fugat omnia mundi  
 Castra, redit carnis uictor & ipse suæ.  
 Intorque fundam fidei, uerbi arripe saxum,  
 Goliathúmq; trucem non trepidanter adi.  
 » Ipse Deus per se, non sæuo militis ausu  
 » Vincit, & omne sui destruit hostis opus.  
 Ille suis proprios extorquet hostibus enses,  
 Vertit & in nostrum quæ nocuere bonum.  
 » Ergo Deo confide, Dei uictoria sola est,  
 » Qui frangit molli maxima quæque manu.

TRIVMPHVS VII.

BACVLVS BENAIÆ.

CAEDES

CAEDES PROVOCATORIS  
AEGYPTII.

II. Regum XXIII.

POENA TEMERITATIS.

**A** Emulus Isaidæ factorum laude Benaid,  
Magnanimos inter clarus honore viros.  
Chretiadum rexit qui Plethiadúmque cohortes,  
Hostilésque aliquot sustulit ense duces.  
Qui rabidum rictu suffocat hiante leonem,  
Se mittens alta tecta per antra niue:  
Illum autem ut ualidis Aegyptius euocat armis,  
Non tulit audacis uerba superba uiri.  
Qui tamen indutis non solum pulcrior armis,  
Verumetiam immani corpore maior erat.  
Fert baculū Hebræus, miles Memphiticus hastam,  
Viribus iste suis fisus, at ille Dei.  
Hic latratori corpus uouet hostis Anubi,  
Ille Deo cœli parta trophæa refert.  
Ioiades cœpto per prælia prima duello,  
O Deus iste cadat uictima cæsus, ait.  
Irruit, & magnis extorta uiribus hasta,  
Telis Niliacum comprimit ipse suis.  
Membra dat alitibus: Solymis deponit in aris  
Exuuias, summo uota trophæa Deo.

Ipse Deus fortes Heroës excitat omni  
Tempore, quos ueræ laudis amore mouet.

Et

Et quibus ardentem inspirat numine mentes,  
Urbibus auxilium ferre, leuamen agris.  
Extinguant homines merita qui morte feroces,  
Conficiantq; truces, noxia monstra, feras.  
Qui pugnent contra Babylonis tela proteruæ,  
Quæ populi semper pestis acerba Dei est.  
Quid Pelusiaca te miles harundine iactas?  
Ante oculos gentis num tibi damna tuæ?  
Naufragij oblitus rege es Pharaone uetusti?  
Dirus Erythraeo cum perit ille mari.  
Hæc eadem gens est, cuius nunc uoce laceßis  
Præstantem bello consilioq; ducem.  
Inuadis tellurem armis, clamoribus astra,  
Ipse tua sed mox impietate cades.  
Ecce latus propria tibi transfodietur ab hasta,  
» Nam non fert sanctus corda superba Deus.  
Temporibus cunctis pœna morietur eadem,  
Qui tua plena mali facta secutus erit.

### TRIVMPHVS VIII.

PVGIO EHVDI.

CAEDES EGLONIS MOABITA-  
RVM REGIS.

Iudicium III.

POENA TYRANNIDIS.

**D**Ebita Geraiides cum uectigalia Regi  
Ferret, & à populo munera missa suo,  
Inuadit iuuenem patriæ pia cura iuuandæ,  
Et molitur opus mens generosa nouum.

Palmis



Palmifera Isacidas Eglon spoliauerat urbe,  
 Subdiderátq; suo regna propinqua iugo.  
 Colloquij specie Moabitida uenit in aulam,  
 Ac regem clausum solus Ehudus adit.  
 Anceps cui lateri furtim pendere sinistro  
 Pugio, in hostilem sica parata necem.  
 Rex fortè aestiuus carpebat solibus umbram,  
 Grande saginati nil nisi uentris onus.  
 Aenea traicitur per fartum cuspis omasum,  
 Propensúm q; acies rumpit aqualiculum.  
 Abdomen capuli penitus concluderat oram,  
 Vulnere nec ferrum ducere cura fuit.  
 Occlusis foribus, tacitæ per operta cloacæ  
 Effugit, & uelox Seirata tecta petit.  
 Conclamat ciues, implet caua buccina montes  
 Ephramidas, populus fertur in arma frequens.  
 Iam positis castris Iordanem accesserat amnem,  
 Ac Moabitarum cæde natabat humus.  
 Illa luce refert clarum gens læta triumphum,  
 Ad Stygiásq; decem millia mittit aquas.

Sæpe Dei populum gens opprimit impia bello,    >>  
 Crimine cum populus desijt esse Dei.            >>  
 At quando iussas resipiscens currit ad aras,  
 Placat & iratum supplice uoce Deum:  
 Auribus esse nequit ad uota precantia surdis,    >>  
 Sed fert speratam nil remoratus opem.            >>  
 Liberat ipse suos, pingues interficit hostes,  
 Quos alit è raptis census & olla bonis,

Quiq;

Quiq; suo immergunt sanctorum munera uentri,  
 Et uitæ ducunt tempora, more suum.  
 Qui molles captant securis mentibus auras,  
 Et stertunt hausto nocte diéq; mero.  
 Esse quid hoc dicas, nisi uilia pondera terræ,  
 Inq; suo dignos ense perire luto?  
 Iam quoque fert tales Ecclesia mille per annos,  
 Legibus exitium perniciémq; bonis:  
 Quis uenter Deus est, & cœlum lauta culina:  
 Relligio, uestes & sine crine caput.  
 Gerades aliquis nunc surgat, cuius in istos  
 Immundos homines pugio fortis eat,  
 Quiq; bonam pacem libertatémq; piorum  
 Afferat, & terris auferat omne nefas.  
 » Siue sacerdotes ducant, siue otia reges,  
 » Publica momento res cadit inde breui.

## TRIVMPHVS IX.

ACINACES IVDITHÆ.

OLOFERNIS CAEDES, REGIS ASSY  
 RIORVM PRÆFECTI.

Iudith XIII.

POENA CONFIDENTIÆ.

**C**ingitur Assyrijs montosa Betulia signis,  
 Perpetiturq; graues obsidione moras.  
 Innumero latos Olofernes milite campos  
 Occupat & uarijs tentat adire dolis.  
 Utq; nihil iuuere doli, nil militis arma,  
 Inclusos lenta morte necare cupit.

Custodit

Custodit puteos, ductusq; auertit aquarum,  
Sub terra positos effodit ære tubos.  
Oris si demens audisset Achiora ueri,  
Non labor incassus, non foret ipse iocus.  
Quinetiam audebat blasphemam tollere linguã,  
Impiãq; in cœli dicere probra Deum.  
Esse Deum Assyriæ regem, cui pareat orbis,  
Ad cuius iaceant numina uicta pedes.  
Iam gens pressa malis, & cincta minacibus armis,  
Tabuerat longa languida facta fame.  
Michaides urbis rector, templiq; sacerdos,  
Dedere iam Medis se populumq; parat.  
Impediit timidos animi matrona uirilis  
Iuditha, tentandum nec docet esse Deum.  
Sustentet fortes, inquit, patientia mentes,  
Inq; Dei spes sit non dubitata manu.  
Ipse uiam inueniet. Sic fata appellat amicos,  
Consilij at certos non facit esse sui.  
Habra mei custos nunquam temerata cubilis,  
Mecum, age, propositam sedula carpe uiam.  
Castra petit, festos induta decenter amictus:  
Sistitur ante tuum Mede superbe thronum.  
Pectora uerborum dulcedine barbara mouit,  
Nec uultus illum flectit honore minus.  
Ardet, & impuros in puram concipit ignes,  
Pollicitisq; urbem iam putat esse suam.  
Apparat extractæ conuiuia splendida mensæ,  
Sẽq; replet multo fractus amore mero.  
Crimine non animum, dapibus non polluit ora  
Meraris: ex imo corde precata Deum,

Inq;

Inq; thorum trepidans morituri ducta tyranni,  
Dat lacrymas, tacitis & mouet ora sonis.  
Me Deus Israël confirma, dirige dextram,  
Respice ad intrepidae grandia facta manus,  
Quodq; fide aggredior facinus, tu perfice: clara  
Nominis ut fiat gloria sancta tui.  
Nec mora, falcato detruncat acinace collum,  
Habra hostis tumidum portat in utre caput.  
Ambæ sublustris per amica silentia lunæ,  
Excedunt celeri Persica castra fuga.  
» Illum, qui contra Dominum fuit alta locutus,  
» Sustulit incolumi fœmina Samaria.

Puluis & umbra animos in cœlum tollere uanos  
Audes, & summum carpere uoce Deum?  
Nec flatu parcens diuinos poscis honores,  
Et uis in populum sceptrâ tenere sacrum?  
» Nostra Deus patrio punit delicta flagello,  
» Attamen affectum semper amantis habet.  
Et licet interdum nobis mora longa uidetur,  
Non opportuno deserit ille loco.  
Hanc humana nequit sapientia cernere lucem,  
Præsidij tantum nititur illa suis,  
Audet & ipsa Deo tempusq; modumq; iuuandi  
Ponere, consilij perdita tota malis.  
Impia turba sumus Deus, & tibi nostra fatemur  
Errata, ac nimium pœnitet esse reos.  
» Sed non abijcimus spem de pietate paterna,  
» Propicia in magnis est patris ira malis.

Immemor

Immemor esse potest nati pater : at Deus ipse      »  
In natos mentem uult retinere patris.      »  
Cum furere incipiunt scui feritate tyranni,  
Innocuósq; dolis, ense, fameq; premunt :  
Forte uel una preces effundens foemina sanctas,  
A lare, & à patria dimouet omne malum,  
Quiq; mouet tonitru coeli aurea templa sonoro,      »  
Non humiles surda reijcit aure preces.      »  
Promptus adesse suis, praesente leuare periclo,  
Seu pia uota ferat foemina, siue puer.  
In Domino coeli felix Ecclesia gaude,  
Ille suos hostes perdit, & ille tuos.

## TRIVMPHVS X.

### CLAVVS IAHELIDIS.

CAEDES SISERAE, CANANAEORVM  
REGIS IABINI, PRAEFECTI.

Iud. III. Psal. LXXXIII.

### POENA CRVDELITATIS.

**S**isera conculcans ferratis curribus hostes,  
Signa in Naphthalidum fert Cananaea solū.  
Oppida subijciens Iabino plurima Regi,  
Finitimis ingens gentibus horror erat.  
Huic Domini populus uiginti subditus annis,  
Seruitij indigni uincula dura tulit.

E                      Excitat

Excitat audacem Lapidothis sancta Baracum,  
Ut patria armata uindictet arua manu.  
Restituat leges, sacrorum instauret honorem,  
Et reddat populo pristina iura suo,  
Fatidicâq; canens illustrem uoce triumphum,  
Ipsa quoque in castris maxima miles agit.  
Occupat herbosi iuga Thaboris alta Baracus,  
Chisonis ad uitreas signâq; uertit aquas.  
Ducebat contrâ nongentos Sisera currus,  
Et lectam populi corda probata manum.  
Sed Deus exterrens imbelli castra pauore,  
Hostes in turpem conijcit ipse fugam.  
Agmina sparguntur latis palantia campis,  
Sisera nec currus, nec moderatur equos.  
Ac pedes effugiens, secreta Iabelidis intrat  
Tecta, atque hospitij iura fidemq; petit.  
Comiter excipitur, dapibus pro tempore sumtis,  
Inuadit fessi languida membra quies.  
Heberis, à magno ducens primordia Mose,  
Irruit, & facinus non muliebre facit.  
Inscia sopiti figit per tempora clauum,  
Et calidam multo sanguine spargit humum.  
Protinus occurrit bellaci leta Baraco,  
Ac dextræ memorans inclyta facta suæ:  
Huc citus, inquit, ades: uictricis præmia uictor  
Exuuias hostis splendidâq; arma cape.  
Qui prius innumeras uexarat Sisera gentes,  
Fœminea domitus nunc iacet ecce manu.  
Heberis exultat, collaudat facta Baracus,  
Extollit summum sancta Debora Deum.

Dat

Dat Deus arma, Dei munus uictoria: seu uult      »  
 Punire iniustos, siue leuare bonos.              »  
 Non regem uel robur equi, uel machina belli  
 Plurima, non firmus currus, & arma iuuant.  
 Elatum uirtus non seruat multa Gigantem,  
 Non bellatorem ferrea dextra uirum:  
 Si Deus aduersas ostendit numine uires,  
 Effundens iræ lora seuera suæ.  
 Ipse solum, & solium regum uirtute gubernat,  
 Omnipotente tenens quicquid ubique manu.  
 Ergo animos discant Reges frenare feroces,      »  
 Inq; opibus magnis rite timere Deum.              »  
 In primis populum non marte laceffere sanctum,  
 Qui curam ueræ religionis habet.  
 Hunc licet aduersis exercens puniat ille,  
 Et prædæ cupidis hostibus esse sinat:  
 Non tamen & parcat truculentis mēte tyrannis,  
 Quis nec honestatis, nec pietatis amor,  
 Quiq; suis cæci fidentes uiribus, omne  
 Quod patrare uolunt, se quoque posse putant.  
 Illorum frangit tandem Deus ipse furorem,  
 Qui minimis opibus sternere summa solet.      »  
 Suscipit ille suos, uictus prece, uictus amore,      »  
 Quo nos membra sui corporis esse facit.              »  
 Ille suos magnis placatus honoribus ornat,  
 Fœminâq; est multis clarior una uiris.  
 Viribus exiguis homines superare potentes,      »  
 Nempe Dei dignum cuncta potentis opus.

## TRIUMPHVS XI.

HASTA PINEHÆ SACERDOTIS.

CAEDES SIMRII ISRAELITAE, ET  
CASBIAE MADIANITIDIS.

Numerorum XXV. Psalmo CV.

POENA LIBIDINIS.

**C**Arcere Niliaco, grauibusq; egressa catastis,  
Plebs Abramæa quæ sata stirpe fuit:  
Dum toties spernit summi mandata Tonantis,  
Insolitas errans cogitur ire uias.  
Iam Moabitarum Sitimis confederat aruis,  
Inq; peregrina castra locarat humo:  
Beoridæ hanc Balachus conatur perdere uatis  
Consilio, ergo nefas instruit ille nouum.  
Inuitat Peoris nomen celebrare Bahalis,  
Et uesci uetitis per sacra leta cibus.  
Prostituit placitas tota regione puellas,  
» Aspera blandicijs pectora uicit amor.  
Vana supersticio, uitæq; libido prophane,  
Pro sancta cœpit relligione coli.  
Nec facinus quisquam fœdum cælare parabat,  
Nulla uerecundi cura pudoris erat.  
Immemoresq; Dei, quod mente oculisq; probabat,  
Quisque, metu posito, turpe peregit opus.  
Ipse duces omnes suspendit ab arbore Moses,  
Millia datq; hominum bis duodena neci.

Simrius



Simrius ingreditur cum Madianitide scorto  
Castra, cui notum Casbia nomen erat.  
Nil ueritus Mosis uultum, nil agmina plebis,  
Nil iram excelsi iudiciúmque Dei.  
Ergo sacerdotis, pro se certamina laudis  
Qui subeat, mentem suscitatur ipse Deus.  
Irarum Pinehas animoso pectore flammam  
Concipit, ultrici sumit & arma manu,  
Visceraque amborum contenta traiecit hasta,  
Supplicium & populo mitigat omne suo.  
Ira Dei cessat: Deus, huic dabo fœdera pacis  
Certa, ait, hic omni tempore noster erit:  
Proque Dei populi que sui pugnavit honore,  
Dextra eius nostras fortiter ultra uices.  
Ille sacerdotis cum posteritate fruatur  
Munere, dum magni stirps Aaronis erit.

Quisquis habes sano sanam cum corpore mentem,  
Munera clementis tam preciosa Dei:  
Fac tua uasa Deo sancta incorruptaque serues,  
Nec uioles templum pectoris ipse tui.  
Inquinat impietas animum, petulantia corpus,      »  
Atque furor punit iustus utrunque Dei.                      »  
Te primum serua scelerato à crimine purum,  
Ex imòque Deum corde timere stude.  
Publica dein uitij exempla trahentibus obsta,  
Hoc etiam poteris more placere Deo.  
Eximium decus hæc uictoria clara meretur,  
Atque datur flatus numine sola sacri.

» Scandala qui uultu conuiuet ad omnia lento,  
» Impia mollicie comprobata acta sua.

## TRIVMPHI HOSTILES.

### TRIVMPHVS I.

LAQVEVS ACHITOPHELI, QVO  
IPSE SE STRANGVLAVIT.

II. Reg. XVII.

### POENA PERFIDIAE.

**M**Achides infert arma infelicia patri,  
Et stulta populum comparat arte sibi.  
Extulit Hebronis per montes buccina signum,  
Inq; armis populus seditiosus erat.  
Verba nouo resonant bona cuncta precantia Regi,  
Et cadit ante aras uictima caesa sacras.  
Vt patrias rumor peruenit acerbus ad aures,  
Deserit arrepta regia tecta fuga.  
It lacrymans, pulla uelatus lumina ueste,  
Calcatur nudo semita dura pede.  
Nec multis adeo pergit comitatus amicis,  
Qui fidum rebus tristibus agmen erant.  
Exoritur Solyma plangentum clamor in urbe,  
Totaq; gens querulos iactat ad astra sonos.  
Vox nulla Isaida temeraria fluxit ab ore,  
Sed caussa, et nato condolet hoste parens.  
Cumq; Gilonitem (quo non praestantior alter  
Consilio, aut ullo maior honore fuit)

Audiret

Audiret uiolasse fidem, partésq; fouere  
 Aduersas, subito concidit ipse metu,  
 Imploratq; Deum, fluxas ut uertat in auras,  
 Suaderet prauo quod malus ore nefas.  
 Mens miseri innumeris affligitur anxia curis,  
 Cui se homini credat, cuiue loco, dubitat.  
 Obuius ad montes, Arachites uenit eunti,  
 Fortunam similem qui subiturus erat.  
 Deserere afflictis turpe est in rebus amicum,  
 Et nisi sit florens, esse negare suum.      »  
 Rex carum blanda dimittit uoce clientem,  
 Instruit & monitis pectora fida suis.  
 Recta Gilonitis frangat suadendo furorem,  
 Sitq; sui exilij tempus in omne memor.  
 Paruit, & Solyman redit exoptatus in urbem,  
 Gratatus regi tradita sceptram nouo.  
 Consilium magnis regni de rebus initur,  
 Præ reliquis princeps Achitophelus erat.  
 Summus amicus erat Dauidis : maximus hostis  
 Nunc est, conuersum cum uidet esse statum.  
 Ipse iubet thalamos natum insectare paternos,  
 Et facere illicitum plebe uidente nefas :  
 Séq; offert, subitis profugum qui retrahat armis,  
 Languida dum primus pectora terror habet,  
 Dúmque uia fessum, Iordanis & amne retentum,  
 Nox daret occultis insidiosa dolis.  
 Husaius contra, fidi haud oblitus amici,  
 Utilia impediit dicta, uolente Deo,  
 Consiliúmque suum regi populóque probauit,  
 Et primum obtinuit uocis honore locum.

Sic alter fremuit spretus, sic arsit in iram,  
Ardet ut Asphaltis mersa Gomorrha lacu.  
Deseruit regem, nam uanae deditus auræ,  
Maiorem potuit, nec sibi ferre parem.  
Ingressus patriæ natalia tecta Gilonis,  
Nil iræ effreni, quo moderetur, habet.  
Colla sibi innectit torto fallacia fune,  
Fædum infelici de trabe pendet onus.

Innumeros hostes pomposa alit aula bonorum,  
Vanâq; sinceras nescit amicitias.  
» Turba ferè magnos colit exiguißima Reges,  
» Ast amplas Regum plurima captat opes.  
Dum princeps felix, crebris stipatur amicis,  
Et cingit florens purpura multa latus.  
Sin fortuna suum non seruat certa tenorem,  
Tum uentis citius lubrica turba fugit.  
Assimulat quædam tetigit quoscunque colores  
Bellua, difficilis fraude latente capi:  
Non aliter nunc hos, nunc illos improba uultus  
Sumit, & instabili fluctuat aula fide.  
Non est impietas sectari & dedecus aulas,  
Sed uarias artes & malefacta sequi.  
Consilijs homines rectos euertere prauis,  
Aut uerba infido pectore blanda loqui.  
Ac domini rabido cuncta indulgere furori,  
Et sinere in quoduis luxuriare scelus.  
Esse libidinibus pollutum, néue quis ausit  
Carpere, ijs pedicis illaqueare duces.

Ad res

*Ad res illicitas operam spondere paratam,  
 Et sese damnis uelle probare uirum.  
 Qui pro communi non uult pugnare salute,  
 Ac pro iusticia nil tolerare mali:  
 Quiq; suæ uitæ non præfert Regis honorem,  
 Pro dominóq; cupit, cum dominóq; mori:  
 Non inter ueros est eius habendus amicos,  
 Munere nec dignus splendidiore frui.  
 Quos struit ambitio, uel quos mens perfida casses, »  
 Est mala in auctoris fraus reditura caput. »  
 Improbitas tandem de formi morte peribit,  
 In cladem propria turpiter usa manu.*

## TRIVMPHVS II.

GABALVS AMANI MACEDONIS,  
 IN QVEM EST IPSE SVFFIXVS.

Hester VII.

## POENA INUIDIÆ.

**E**Xtulerat summis Assuerus honoribus olim  
 Antiqua Macedum de regione uirum.  
 Cuius adorabant submisso poplite uultum,  
 Alta quot illustres Susa habuere duces.  
 Euphrates illum ueneratus, & Indus Hydaspes,  
 Quiq; rotat celeri uortice Tigris aquas.  
 Iairides aulæ pars non spernenda potentis,  
 Nam custos primi liminis unus erat:  
 Obseruans legem, plenam grauitatis, Hebræam,  
 Inflexo solus perstitit ipse genu.

E 5

Maluit

» Maluit irati uocem contemnere Regis,  
 » Mandatum summi quàm uiolare Dei.  
 » Solus adorandus Deus est: at bulla cinisq;  
 » Diuino heu stultè gaudet honore coli.  
 Monstrat Amadathides insanas pectoris iras,  
 Vt medijs ardens pinea tæda focis.  
 Isacidam gentem per totum excindere regnum  
 Apparât, & cunctis expoliare bonis.  
 Impetrat edictum, Iudæos nomine Regis  
 Tollendos uno, sint ubicunque, die.  
 Iairides lacero procedit squallidus ore,  
 Et sparsa fœdat puluere triste caput.  
 Regine cuius dolor ut peruenit ad aures,  
 Mollia percurrit frigidus ossa metus.  
 Vt uerò luctus causam cognouit amari,  
 Concidit, & subito muta stupore fuit.  
 Vix ægram, scissa niueo de pectore ueste,  
 Tum manus infusis serua refecit aquis.  
 Mens primum ut redit, indicit ieiunia uulgo,  
 Supplicat & summo corde micante Deo.  
 Tertia lux aderat, regales sumit amictus,  
 Et docta comas implicat arte comas.  
 Regem adit, atque ipsum cū sæuo inuitat Amano,  
 Accedat structas hospes uterque dapes.  
 Hoc Macedo nimium factus temulentus honore,  
 Nil actum studijs omnibus esse putat:  
 Iairiden tota nisi cum propagine perdat,  
 Et damnis magnum se probet esse uirum.  
 Erigit immanem truncum, quo pendeat altè,  
 Qui sibi non pronum flexerat antè genu.

Iairide

Iairide interea (tulerat qui Regis ad aures,  
Quos furtim struxit turba inimica dolos,  
Illum cum ferro famuli iugulare pararent )  
Pro merito solui rex iubet ipse uicem.  
Per uicos urbis quem tum, diadema ferentem,  
Impositum Regis ducit Amanus equo.  
Cogitur & clara laudes extollere uoce,  
Atque hostis præco publicus esse sui.  
Mens præfaga mali, miserū cruciabat Amanum :  
Vxori tristis nuncius ipse suæ est,  
Consilio cuius trabs stabat in ædibus alta,  
Improba in innocuum pœna statuta caput.  
Exangui uersat uarias sub pectore curas,  
Horret ad appositas conscius ire dapes.  
Omnia se celare putat simulatio posse,  
Et tamen insidijs angitur ipsa suis.  
Incaluit multo mens Regis feruida baccho,  
Regina in uinis, ignis in igne fuit.  
Ipse ait, opta aliquid, nullam patiere repulsam,  
Clauditur imperij pars tibi nulla mei.  
Excipit hæc, lacrymis oculos suffusa decoros,  
Vitam oro, miseræ munera si qua dabis.  
Si quis seruitij captæ mihi uincla parasset,  
Seruitij ferrem non reuendo iugum.  
Morti me populūmq; meum hic addixit Amanus,  
Infamans nomen Rex generose tuum.  
Exilit iratus rex, uina dapésq; relinquens,  
Aestuat intus atrox mistus amore furor.  
Reginæ solium Macedo complectitur amens,  
Próq; suo supplex crimine, uerba facit.

Aßistens

Aßistens Regi commoto Arbona minister,  
Supplicij iustum perdocet ipse modum.  
Vestibulo lignis stat furca trabalibus alta,  
Iairide in miseram silua parata necem.  
Suspendi illa ipsa Rex de trabe mandat Amanum,  
Reginæq; eius donat habere domum.  
Tum stirps natorum letho deletur eodem,  
» Venit in auctoris debita pœna caput.

Nemo sibi primos non aulæ poscit honores,  
Atque studet regi proximus esse loco.  
Quòd si forte malo contingit gratia talis,  
Nulla lues magis est perniciofa bonis.  
» Obseruant prauis simulato pectore Regem,  
» Et quod agunt, uulpis more, latenter agunt.  
Cum fortuna fidem mutat, mutantur & ipsi,  
Hoste q; plus ipso sæpe nocere solent.  
At socijs ita sunt ira inuidiâq; molesti,  
Frigida ut infixio uipera dente nocet.  
Nec sat habent uni tantum nocuisse, sed imo  
Si possint, ardent uertere regna solo.  
Ipsorum scelus & culpa est: infamia Regum,  
Nam faciunt horum nomine, quicquid agunt.  
Maxima debetur meritò reuerentia Regi,  
Et titulum plenum relligione gerit:  
Sed uelut Oceanum iactatur cymba per altum,  
Sic uentorum illum multa procella rapit.  
Eurus enim blandis fallit mulcendo susurris,  
Et latera impugnant praua tuendo Noti.

Tum



Tum Zephyri fictis implent sermonibus aures,  
In tergúmque scelus uis Aquilonis agit.  
Aeolus hos aliquis uentos plerunque gubernat,  
Atque sua dominum sub ditione tenet.  
Credita cui fuerit moderandi magna potestas,    »  
    Officium faciat cum pietate suum.                »  
Obseruet Regem uero studiosus honore,  
Nec bona communi præferat ulla bono.  
Non alijs obsit, nec se nimis efferat, & quos  
    Ingenuæ nocuit simplicitatis, amet.  
Inuideatque datum non cuiquam toruus honorem,  
    Nec paret insidias, perniciemue struat.  
Nectere quod si quis fraudem tentabit iniquam,  
    Artibus interimet seque suosque malis,  
Inque scrobes alijs multo molimine fossas,  
    Prospera promittet cum sibi cuncta, ruet.

### TRIVMPHVS III.

#### GLADIVS SAULI REGIS, IN IPSVM CONVERSVS.

I. Regum XV.

#### POENA INDVLGENTIÆ IN MAGISTRATV.

**I**ussus Idumæam Cissides tollere gentem,  
Cum pueris iuuenes, cum populóque patres.  
Thariadas olim, quoniam promissa petentes  
    Regna, ausi cæptis impedijsse uijs.  
Ipse autem laudis, prædæque cupidine tactus,  
    Immemor est domini iussa replere Dei.

Abducit

Abducit captum uulgi spectacula Regem,  
 Et pingues aris destinat ipse boues.  
 Aggreditur Samuel uerbis haud mollibus ipsum,  
 Commissumq; graui detegit ore nefas.  
 » Non Deus aut ouium aut hircorum sanguine gau-  
 » Sed mandata eius qui facit, ille placet. (det.  
 Excutiet solio, quoniam parere negasti,  
 Imperioq; Deus te spoliabit, ait.  
 » Quisquis enim Domini mandata capeffere sper-  
 » Ante data amittet turpiter ille bona. (nit,  
 En tibi Saule alius sceptri succedet honore,  
 Hostibus atque tuis præda futurus eris.  
 Nulla minantis erat planè uox irrita uatis,  
 » Quis falsum in sanctis arguat esse Deum?  
 Saulus uexatur furijs, magus euocat umbras,  
 Atque agit inuito numine, quicquid agit.  
 Transfertur regnum, tres natos abripit ensis,  
 Concidit ipse sua, pulsus ab hoste, manu.  
 Tum uerba hostiles ignominiosa per urbes  
 Iacta sonant, populus fert probra mille Dei.  
 Arma Philistæis pendent Iudæa trophæis,  
 Státq; Dionæa Saulis in æde caput.

» Ipse Deus proprijs gladijs interficit hostes,  
 Ac finit illorum dira patrare manum.  
 Ac se tali etiam monstrat ratione potentem,  
 Inq; animos hominum iura tenere feros.  
 Qui dum quem patrio non aspicit amplius ore,  
 Hei mihi, quàm præceps intereundo cadit.  
Impietas

*Impietas securâ, manus in se exigit ipsam,*      22  
*Interit & telis uita scelestâ suis.*      22  
*Nec diadema facit quenquam, nec purpura tutum,*  
*Quicquid & in precio mundus habere solet.*  
*Integritas Regum florentes sustinet aulas,*      22  
*Confirmâtq; Dei splendida sceptrâ timor.*      22  
*Cui Deus ergo dedit uirésq; modumq; regendi,*  
*Auctorem in primis audiat ille Deum,*  
*Sitq; pater meritis, prauis acerrimus hostis,*  
*Sic patriam, & natos euehet ille suos.*

### TRIVMPHVS IIII.

#### SELLA HELI PONTIFICIS IPSUM EVERTENS.

##### I. Regum III.

##### POENA INDVLGENTIAE IN PATRE.

**O**blata Helides dum dona recenset ad aras,  
*Sacrificusq; Dei seruat uterq; domum.*  
*Non tota iuuenes Dominum sunt mente secuti,*  
*Numina quæ colerent, venter & Olla fuit.*  
*Plurimâq; addentes lasciuæ opprobria uitæ,*  
*Iratæ facti fabula plebis erant.*  
*Vt rumor patrias indignus perculit aures,*  
*Aduocat, & natos uoce monente rogat.*  
*Non tantum Nati pudor est admittere crimen,*  
*Vt populo exemplum sitis uterque mali?*  
*Quòd si quis factis homines offendit iniquis,*  
*Indicijs hominum conciliatur amor.*      22

Sed      22

» Sed quis componet duræ certamina litis,  
» Ingens offensi cum furit ira Dei?  
Ista senex surdas natis cantabat ad aures,  
Nil ualuere preces, nil ualuere minæ.  
Sume animum, ac legis mandatas exige pœnas,  
Desine & indulgens amplius esse pater.  
Pœna tibi ante pedes, non longum, occumbit He-  
sæua Philistæo bella parante duce. (bræus,  
Arca Dei in populi Helidis comitantibus agmen  
Aduenit, afflictis rebus ut addat opem.  
Occisis rapido terdenis millibus ense,  
Capta in barbaricum ducitur Arca solum.  
Occumbunt fratres, sella resupinus ab alta,  
Cervice effracta, concidit ipse parens,  
Alteriusq; uxor nati, curuata dolore,  
Immaturum utero flebilis edit onus.

In qua sella olim confederat aureus Heli,  
In qua sessurus postea semper erat:  
Mollicie natos cum perderet, excidit illa,  
Extinxitq; suam praua fouendo domum.  
Abijce fœmineam plectendo crimine mentem,  
Fortiter officij iura tuere tui.  
» Quod iubet ipse Deus, non est contemnere tutū,  
» Perfice quódq; iubet, qua ratione iubet.  
Hos monitus rigidas si non demittis in aures,  
Lapsa tuum minuet sella premendo caput,  
Quódq; prius fuerat sublimis culmen honoris,  
Id fiet domui prima ruina tuæ.

Disce

Disce parens autem quantum indulgentia damni,  
Quot mala, sanguineas quot parit illa neces.  
Moribus in forma natos, frenisq; coërce,  
Hæc ætas uicijs luxuriosa suis.  
In teneros, uirgis: in adultos, utere pœnis,  
Atq; resiste, potes qua ratione, malo.  
Nec tibi, nec patriæ, nec caris deniq; natis,  
Infer mollicie maxima damna tua.  
Cum semel ardescit, iusto commota dolore,  
Non punire grauis desinit ira Dei.

## TRIVMPHVS V.

QVERCVS ABSOLONIS, DE QVA  
IN FUGA DEPENDENS CÆ-  
SARIE, TELO TRICV-  
SPIDE TRAIICITVR.

## II. Regum XVIII.

POENA SEDITIOSAE CONTV-  
MACIÆ IN FILIO.

**A**Bsolon incesto maculatus sanguine fratris,  
E patria propere fugerat exul humo.  
Hospitio Ammiudes excepit auunculus illum,  
Desineret lesi dum rabida ira patris.  
Placato ternas post messes ipse parente  
Vt redijt, Solyma clausus in urbe fuit.  
Nec patris est nato concessum cernere uultus,  
Bis solitum dum sol annuus egit iter,

F

Regiâq;

Regiâq; ut ductu est ingressus tecta Ioabi,  
Delicti ueniam, quam petiere, tulit,  
» Nil prauos benefacta iuuât: furit Absolon amens,  
Quærit & inuito sceptrâ tenere Deo.  
Quæ fratri antè, mouet nûc impius arma parenti,  
Quo saluo, saluum se putat esse minus.  
Conciliat populi uerbis & fraude fauorem,  
Et patrios tentat conciliare duces.  
Insidijs faciles, promissio mulcet auaros,  
Et titulum, sua quo facta tuetur, habet.  
Iusticiæ usurpat sanctum & uenerabile nomen,  
Fraus & honestatis nomine tecta latet.  
Tandem opportuno simulatis tempore sacris,  
Viseret ut ueterum sancta sepulcra patrum,  
Votâq; pro reditu simulans se soluere uelle,  
Erumpit facinus quod meditatus erat.  
Nam nouus Hebronis rex conclamatur in urbe,  
Fama per Isacidum crebra uagatur humum.  
Gratatur tumido uulgus data sceptrâ tyranno:  
Hei mihi læticiæ quàm breue tempus erat.  
Confluit ad iuuenem cani pars magna senatus,  
Inter quos princeps Achitophelus erat.  
Adiuuat hunc plebis simul infima turba tumultum,  
Regis & auspicio suscipit arma noui.  
Vt patris insolitas iniuria uenit ad aures,  
Vix scelus in nato credidit hoste parens.  
Discessum Solyma raptim properabat ab urbe,  
Et secum lectos mandat abire uiros.  
Optima pars urbis plangens comitatur, & arca  
Effertur, quamuis rege uetante, Dei.

Regis

Regis ut uxores in capta polluit urbe  
 Absolon, & leges ac noua iura tulit:  
 Mox patrem insequitur fugientem filius audax,  
 Iethridæ mandans castra superba duci.  
 Non procul à rapido sita Machanaima Iaboco,  
 Mœnibus Isaiden fouit amica suis.  
 Inde suos armans, alijs sis hostibus hostis  
 Dixit, sed nato parce Ioabe meo,  
 Nato parce meo: quàm uellem parcere cunctis  
 Ciuibus, & sedis tuta tenere meæ.  
 Aut amplum potius deponere regis honorem,  
 Quàm cuiquam dici caussa fuisse mali.  
 Silua erat, & fossis atque antris horrida cœcis,  
 Hanc uoluit castris Absolon esse locum.  
 In quam Zeruiades, cui iunxerat agmen Abisa,  
 Irruit, inq; fugam terga scelestæ dedit.  
 Viginti subito sternuntur millia letho,  
 Et plures multò silua maligna tulit.  
 Maachides trepida fugiens formidine, ramo  
 Flauentes quercus impediante comas,  
 Pendet, inops animi: nec quo se liberet ense  
 Cogitat, huic pœnas iam statuente Deo.  
 Dum cœlum terrámq; inter sic anxius hæret,  
 Zeruiadæ factum nuncia fama uehit.  
 Aduolat, & telo iuuenile tricuspide pectus  
 Transigit: impietas improba facta luit.      »  
 Mortuus in uastum demittitur Absolon antrum,  
 Turpiâq; obscurus contegit ossa lapis.

Quoscunque exagitat regnandi cœca cupido,  
Illorum pietas nulla moratur, iter, (tum,  
Quin scelus omne sequi pergant: non cura parent  
Quæq; caput supra est, commouet ira Dei.  
Aula domus scelerum, nutrix est aula malorum,  
Quæ sibi stulta nefas omne licere putat.  
Illa bonis inimica, leuem mutatur ad auram,  
Próq; colit dominum tempore, próq; loco.  
Nec peccasse tamen cuiq; est hanc dicere tutum,  
Improba delictis gaudet ab ipsa suis.  
Hæc cum fortuna mutat, cum principe mores,  
Et quodcunq; sapit, hoc simulando sapit.  
Regibus indulget cœco malesuada furori,  
Perdens, quo sperat posse iuuare modo.  
» Vos primi in populis, ipsi uos discite Reges,  
» Quod sit nulla salus absque timore Dei.  
Ille pijs fulgens stabilit sua munera sceptrum,  
Hoc etiam, cum uult, eripit ille malis.  
Ergo quos Regum Deus ad latus ipse sedere  
Fecit, & ex humili duxit ad alta loco:  
Consilijs patriam, meritis adiungite Regem,  
Atque Deum uita conciliate pia.  
Vos autem populi quibus est commissa potestas,  
Ante oculos Dominum semper habete Deum.  
Nanque illum spernens, iniustaq; facta capeffens,  
Corruet, & damnis occidet ipse suis.

EXPLICA



EXPLICATIO NOMINUM  
 MINVM OBSCVRORVM.

- A** Bide natus, Ezechias rex Iudæ, à matre sic dictus 4.Reg.18.  
 Achafides, Ezechias, Achasi filius Ibid.  
 Amadathides, Amanus Macedo, Amadathi filius, Mardochei emulus Hester 3.  
 Ammiudes, Tholmaa Gessurenorum rex, Davidis socer, Absolonis auunculus 2.Reg.13  
 Amosides, Esaias Propheta, Amosi filius Esa 2  
 Amramides, Moses Amrami filius Exod.6  
 Amriades, Achabus Amriæ filius 3.Reg.16  
 Anathides, Samgarus iudex, Anathi filius Iud.3  
 Arachites, Husaius Davidis cliens, & Absolonis consiliarius, à patria 2.Reg.15  
 Assuerus, Artaxerxes à Græcis, rex Persarum, Xerxis filius Hest.1  
 Beniamides, Simon Oniæ pontificis aduersarius, patriæ & templi proditor, à tribu 2.Mach.3  
 Beorides, Bileamus uates, Beori filius Num.22  
 Cenchres rex Aegypti, qui Mose restitit, nec populum dimittere uoluit, appellatur ab Eusebio: ut ille sub quo Iosephus floruit Amasis ab Orosio  
 Cissides, Saulus primus rex Hebræorum, Cissi filius 1.Reg.9  
 Ephramida, Hebræi ab Ephraimo Iosephi filio, Iacobi nepote Gen.41. Esa.9  
 Gathites,

Gathites, Goliathus Gigas, à patria 1.Reg.17  
 Geraides, Ehudus iudex, Geræ filius Iud.3  
 Gilonites, Achitophelus, Davidis & Absolonis  
 regum consiliarius, à patria 2.Reg.15  
 Haranides, Lothus Harani filius, Abrahami ex  
 fratre nepos Gen.11  
 Heberis, uxor Heberi, nomine Iabelis Iud.4  
 Helidæ, Ophnius et Pinehas sacerdotes, Heli pon  
 tificis filij 1.Reg.2  
 Iairides, Mardocheus Iairi filius, Edessæ reginæ  
 patruus Hester 2  
 Iethrides, Amasa dux, Iethræ filius, Absolonis  
 exercitus præfectus 2.Reg.17  
 Ioaides, Banaias Davidis & Solomonis bello præ  
 fectus, Ioiadæ filius 2.Reg.23  
 Isacidæ, Iudæi ab Isaaco, Abrahami filio, in quo à  
 Deo benedictum toti genti fuit Gen.17  
 Isaides, rex David, Isai filius 1.Reg.16  
 Lapidothis, uxor Lapidothi, Debora uates  
 Iud.4  
 Maachides, Absolon à Maacha matre, Davidis  
 uxore tertia, Tholmeæ Gessurenorum regis  
 filia 2.Reg.3  
 Meraris, Iuditha uidua, Merari filia Iudith.8  
 Michaides, Ozias Samariæ pontifex, Michæ fi  
 lius Iudith.6  
 Morasthites, Micheas propheta, à gente Mich.1  
 Nunides, Iosua Nuni filius Ios.1  
 Saphatides, Helisæus propheta, Saphati filius  
 3.Reg.13  
 Saraidæ,

- Saraidæ, Hebræi à Sarai Abrahami uxore, à qua  
 etiam Saraceni dici se uoluerunt Gen. 18*
- Thariades, Abrahamus Tharæ filius Gen. 11*
- Thariadæ, Hebræi ab Abrahamo, quem ob pro=  
 missionem factam patrem suum appellarunt  
 Gen. 11*
- Thrasides, Apollonius Seleuci regis præfectus,  
 Thrasæ filius 2. Mach. 3*
- Thimnatis, Dalila Simsonis concubina, à patria  
 Iud. 14.*
- Zargites, Simson, à patria Iud. 13*
- Zeruiades, Ioabus Zeruiæ, Davidis sororis, fi=  
 lius, belli dux Davidis primarius 1. Par. 2*
- Ziphorides, Ziphori filius Balachus, rex Moa=  
 bitarum Num. 23.*

FINIS.

Faint, illegible text, possibly bleed-through from the reverse side of the page. The text is arranged in several lines and is significantly faded and obscured by water damage.

Faint, illegible text, possibly bleed-through from the reverse side of the page. The text is arranged in several lines and is significantly faded and obscured by water damage.







YL 2 401

ULB Halle


3

001 766 996




m. 8.







V F.G.



# Farbkarte #13

B.I.G.

Blue	Cyan	Green	Yellow	Red	Magenta	White	3/Color	Black
------	------	-------	--------	-----	---------	-------	---------	-------



66

